

580.41
St.83
PRO SCIENTIA
SALUTE
POPULIQUE
LIBRARY OF
THE NEW YORK BOTANICAL GARDEN
Special Book Fund
1907
Septemb 1899
R. W. Gibson Invt

WALAFRIDI STRABI
HORTULUS.

CARMEN AD COD. MS. VETERUMQUE EDITIONUM FIDEM RECENSITUM, LECTIONIS VARIETATE NOTISQUE INSTRUCTUM.

ACCEDUNT

ANALECTA AD ANTIQUITATES FLORAE GERMANICAE

ET

CAPITA ALIQUOT MACRI NONDUM EDITA.

AUCTORE

F. A. REUSS

M. D.

WIRCEBURGI.

APUD J. STAHEL.

1834.

WALAFRIDI STRABI

HORTULUS.

CARMEN AD COD. MS. VETERUMQUE EDITIONUM FIDEM RECENSITUM, LECTIONIS VARIETATE NOTISQUE INSTRUCTUM.

ACCEDUNT

ANALECTA AD ANTIQUITATES FLORAE GERMANICAE

ET

CAPITA ALIQUOT MACRI NONDUM EDITA.

AUCTORE

F. A. REUSS

M. D.

WIRCEBURGI.

APUD J. STAHEL.

1834.

PRAEFATIO.

Walafridi Strabi carmen de Hortuli cultura nova hac editione prodire, haud ingratum puto iis, qui aevi medii literas, vel monachorum de re medica merita accuratius cognoscere student. Hic enim Hortulus, haud ignobile doctrinae saeculi IX documentum, auctorem arguit tam linguae latinae peritissimum et in veterum scriptorum operibus versatissimum, quam sagacem et assiduum virium herbarum indagatorem, meliorisque omnino ingenii medicum, quam quos e saeculorum sequentium scriptis novimus. Quare carmen illud, amice tanquam in saeculi barbari tenebris micans sidus, felici fato inter tot scripta temporum recentiorum tumultu deperdita nobis servatum, dignum putavi, quod, rárissimis insuper veteribus editionibus, denuo excusum et correctius in lucem prodiret, ut a doctis aeque ac antiquarum literarum studiosis commode legi possit. Textum Hortuli recensui ad laudatiores eius libri editiones, Vindobonensem scilicet, Norinbergensem, Atrocianam alteram, Francofurtensem et nuperrimam Choulantianam, nec non ad Codicem saeculo XV exaratum, quem in Bibliotheca Regia Monacensi, ea, qua solet, humanitate, mecum communicavit Vir doctissimus Dr. Smeller, Bibliothecae Custos. Quorum varias lectiones una cum notis selectis Barthi, integris Atrociani meisque adnotationibus et locis parallelis,

adiecta brevi auctoris notitia literaria et tribus de Hortulo ex editione Norinbergensi excerptis haud illepidis Protrepticis editioni huic addidi. Caeterum doleo, me destitutum fuisse ope Codicum aliorum MSS. quorum princeps forsan in scriniis Bibliothecae S. Gallensis latet.

In Antiquitatibus botanicis primas tantum lineas Florae patriae constituere tentavi, qualis temporibus antiquissimis fuerit, et quomodo labentibus saeculis mutata sit in eam, qua nostra aetate gaudemus. Id opus, multa quidem versatum manu, multoque invigilatum labore, omnibus numeris absolvendo impar: fragmenta eiusdem aliquot, rei herbariae studiosis forsitan haud ingrata, hoc loco offeram, quae, ceu tenuem operis magni orsum, iudices severiores nimium ne carpant, opto rogoque.

Coronidis loco capita aliquot Macri de herbarum virtutibus iunxi; spuria sint an genuina, in medium relinquens. Quorum decem priora depinxi ab editione Macri Neapolitana 1477, decem altera restitui e Codice MS. Bibliothecae Guelpherbitanae; quae accepta refero Ludovico Choulant, atque idcirco huic libro adiungenda censui, ut post iteratas Viri huius clarissimi in illustrando poëta gravissimo curas, carmen Macri integrum tandem medicinae veteris studiosis legatur.

Scribebam Kizingae ad Moenum, in vigilia Nativitatis Domini MDCCCXXXIII.

Reuss.

AUCTORIS VITA ET SCRIPTA.

Walafridus [1]) Strabus [2]), natus anno DCCCVI [3]) teste Canisio, adolescens scholas frequentavit monasterii Fuldensis Ordin. S. Benedicti, quod, anno DCCXLIV [4]) regnantibus Carolomanno et Pipino a S. Bonifacio fundatum, insigni per omnem Germaniam fama celebrabatur, ubi a Rabano Mauro [5]), coenobii eiusdem abbate toto orbe clarissimo, optimas artes scientiasque edoctus est. Annum agens XV carmina

1) Waltfridus apud Anonym. Mellicens. Script. eccles. 44. Galfridus apud Ortelium et Thilemannum. — 2) Litigant de nomine Auctores. Sunt qui Strabonem vocent, Hermannus scilicet Contractus, Browerus, Barthus, Polyc. Leyserus, Biblioth. max. Patrum, Sprengel et Choulant. Strabus nominatur in Cod. S. Gallensi ed Edit. Principe, a Trithemio in Chronico Hirsaug., H. Pantaleone, Martino Polono Historico, Goldasto, Atrociano, aliisque — A. vitio oculorum cognomen Strabi sortitum esse Walafridum, contendit Biblioth. max. Patr., versum citans e Carmine ad Regem Ludovicum: „Hoc opus exiguum Walafridus pauper hebesque“ — Duos Strabos habent Heppidanus in Annal. et Goldastus in Alamann. „Alterum, Bedae venerabilis fratrem DCC ex Anglia venisse, alterum monachum fuisse, natione Gallum.“ Quibus tertius insuper additur a quibusdam, poeta simul et Geographus insignis. — 3) Vel DCCCVII. V. Hamberger zuverlässige Nachrichten von den vornehmsten Schriftstellern etc. 3. 588. Errat Mangetus, Biblioth. Script. medic. II. 18, Strabum MCLXIII vixisse narrans. — 4) Bruschius, Monaster. Germaniae praecip. Ingolstad. 1551 f. pag. 56. — 5) Browerus, Annal. Fuldens. Antverp. 1612. f. pag. 68,

componere coepit de laudibus Ebbonis, Episcopi Rhemensis. Anno aetatis XXVIII Abbatiam adiit S. Gallensem, apud Helvetos longe potentissimam, a S. Gallo Scoto Germanorum apostolo anno DCXXX conditam [6]). Ubi summa ingenii doctrinarumque subtilitate magnam gloriam adeptus Strabus Coenobii Decanus creatus est circa annum DCCCXXXV. Quo tempore Glossam in Bibliam, quae vulgo dicitur Ordinaria, Hortulum, aliaque multa carmina exaravit. Anno DCCCXLII [7]) infula ornatus est a monachis Abbatiae Augiae divitis [8]). Obiit XV Calend. Augusti DCCCXLIX, ut habet Necrologium [9]) S. Gallense.

Walafridus, summae pietatis vir, variis scriptis, elegantissimis [10]) praesertim carminibus, nomen suum posteris tradidit celebrandum. Quae sermone pedestri composuit, sunt:

1. Glossa in Bibliam, quae dicitur Ordinaria [11]).
2. Commentarii in Genesin, Exodum et Leviticum.

Carmina, quae recenset Canisius, sunt:

1. Mammae monachi Vita et Mors.

---

6) J. Launoius de schol. celebr. Lutet. 1672. 8. pag. 70. — Bruschius, l. c. pag. 112. — 7) J. Bonae Cardinal. opp. Antverp. 1694. f. in indic. Auctor. — 8) Reichenau am Zeller See. — 9) Eckhart, Comment. de rebus Franciae oriental. II. pag. 406. — 10) Polycarpus Leyserus, Histor. poet. mediae aetat. Halae 1721. 8. pag. 255. — C. Barthus, Adversar. Comment. L. IV. c. 24. Francofurt. 1648. f. — J. Burcardus de linguae latinae in Germania fatis. Hanov. 1713. 8. pag. 92. — 11) Browerus l. c. pag. 56. „non ullo scriptionis genere laetior in posterum victurus, quam ingentis operae ex veterum monumentis publicatae glossae syntagmate etc. — Repertus inter alia Strabi huius opuscula libellus de arithmeticis dimensionibus Gerungo abbati inscriptus."

2. Hymnus in Natalem S. Mammetis.
3. Vita Beatae Blaithmaic.
4. Liber de visionibus Wettini, inscriptus Grimaldo.
5. Versus de Festivitatibus anni.
6. Hymnus in Natalem Domini.
7. Ode ad S. Virginem.
8. Versus de Agauensibus Martyribus.
9. Versus de S. Gallo.
10. Versus in librum I. Macchabaeorum.
11. Versus de imagine Tetrici.
12. Carmen ad Regem Ludovicum.
13. C. ad Lotharium imperatorem.
14. C. ad regem Pipinum.
15. C. ad Einhartum Magnum.
16. C. ad Grimaldum Magistrum [12]).
17. C. ad Bodonem Diaconum.
18. C. ad Heribaltum Episcopum.
19. C. ad Gotabertum.
20. Carmina minora ad Ebbonem Episcopum Rhemensem, Conradum comitem, aliosque.
21. Epigrammata varia, Aenigmata.
22. Epistolae aliquot.
23. Versio metrica orationis dominicae et psalmorum aliquot.

---

12) Cuius in fine de nomine suo ludit Auctor: „Edidit haec Strabo, parvissima portio fratrum, Augia quos vestris insula alit precibus. Strabonem quanquam dicendum regula clamet, Strabum me ipse volo dicere, Strabus ero.“ —

Hortulus, Monasterii S. Gallensis Abbati Grimaldo [13]) inscriptus, versibus CDXLIV tranquillam pii monachi artem mira pingens suavitate, doctrinae fideique candidae specimen egregium, carminum, quaecunque aevi medii supersunt, longe praestantissimum, versibus gratissimis conditum, haud inferius Hortis Columellae! Satis mirari nequeo, saeculo illo, quod Baronius „boni sterilitate ferreum, malique exundantis deformitate plumbeum et inopia scriptorum obscurum," vocat, talem poetam nasci potuisse.

Tractat Strabus carmine suo medicas herbarum XXIII, insigni ea aetate laude praeditarum virtutes, imitans veterum poetarum nonnunquam Virgilium et Columellam, medicorum vero Q. Serenum Samonicum; plurima vero, sua ipsius experientia probata, adfert [14]).

Strabi praeceptorum inter juniores medicos mentionem fecit Floridus Macer in carmine de viribus herbarum v. 900 Edit. Choulant.

Recentiorum temporum medicis Hortulus plane ignotus fuisse videtur, si exceperis G. Pictorium [15]) Vil-

---

13) Grimaldus Abbas, Strabo amicus, Regis Ludovici Sacellanus, vir doctissimus, mortuus DCCCLXXII. V. Bruchius l. c. pag. 113.
14) K. Sprengel, Geschichte der Arzneikunde. pag. 486. II. —
15) Pantopolion, continens omnium ferme quadrupedum, avium, piscium, radicum, seminum, metallorum, naturas, carmine elegiaco, acced. de apibus, de Daemonum qui sub lunari collimitio versantur, ortu, de magia, sagis — auctore G. Pictorio Villingano. Basileae 1563. 8.

linganum, auctorem nostrum interdum strenue imitantem in Botanologia, Cap. XXIV.

„Nec minus Abrotani promptum est mirarier altam
Stirpem quam farctor rusticus atque novit.
Paeoniis quoque hunc prodest miscere medelis,
Hanc herbam, menses quae revocare potest.
Febribus ac obstat, quae mixto sumitur amne;
Quae tot virtutes, quot tenet ipsa comas."

deinde Cap. XXV. „Puleii vires celeri comprêndere versu
Non datur, haec totidem commoda quippe parat"
et Capp. XLIII, XLVI. etc.

EDITIONES.

Viennae Austriae, 1510. Forma quadr. min.

„Strabi Galli poetae et theologi doctissimi ad Grimaldum Coenobii S. Galli abbatem Hortulus."

In fine legitur:

„Imposita est extrema manus Strabi hortulo Viennae Austriae pridie Kalend. Novembris per Hieron. Philovallem, anno MDX." —

Editio princeps, perrara, prodiit cura Joachimi Vadiani (J. Watter) professoris in academia Vindobonensi, [*] impressa ad fidem Codicis S. Gallensis. Titulum ornat icon xylographica horti floribus consiti — Litterae rotundae. Vid. M. Denis, Wien's Buchdrucker-Geschichte, Seite 32—34.

Asservatur exemplar in Bibliotheca Regia Monachii S. P. O. lat. 664.

Norimbergae, 1512. 4.

„Strabi Fuldensis monachi, poetae suavissimi, quondam Rabani Mauri auditoris, Hortulus nuper apud Helvetios in S. Galli monasterio repertus, qui carminis elegantia tam est delectabilis, quam doctrinae cognoscendarum quarundam herbarum varietate utilis. Ad Grymaldum Abbatem."

In fine: „Impressum Norinbergae in oppido imperiali officinaque domini Joannis Weyssenburger, die nono mensis Julii, anno salutis 1512." —

---

[*] Nat. 1484. mort. 1551.

Charactere gothico expressa, titulo figura horti ornato. Accuravit hanc idem J. Vadianus. Est in Biblioth. Universit. Wirceburgensis S. L. Rr. q. 48.

Basileae 1527. 8.

Friburgi 1530. 8.

Utranque curavit Joannes Atrocianus s. Acronius, natus in oppido Akrum in Frisia occidentali, Mathematices in academia Basileensi professor, mort. 1564. — Vid. G. Veesenmeyer's bibliographische Analekten, Ulm, 1826. §. 12 et Herzog's Athenae Rauricae, pag. 334.

Venetiis 1547. Fol.

In collectione medicorum veterum Romanorum Aldina.

Francofurti a. M. 8. sine anno, apud Chr. Egenolphum. Adhaeret Eobano Hesso de tuenda bona valetudine et B. Fierae Caenae. Icon horti in titulo.

Francofurti 1564, 1571. 8. apud haeredes Chr. Egenolphi, una cum Eobano Hesso et B. Fiera. Deest icon. —

Ingolstadii 1604. 4. — V. Catalog. libror. Biblioth. Bodleian. Oxon. 1674. f. 182.

Lipsiae 1655. 8.

„Ars veterum nonnullorum ut et mediae vergentisque aetatis scriptorum fere metricorum et medicorum de Re herbaria videlicet, auctore Rivino." —

Liber rarissimus, exhibens Moderati Columellae, Nicolai Bartholomaei et Walafridi nostri carmina. —

Lugduni 1677. Fol.

In Bibliotheca maxima Patrum veterum, Lugduni etc. Tom. XV. pag. 181.

Amstelodami 1715. Fol.

In Thesauro monumentorum ecclesiasticorum Henr. Canisii. Tom. II. pag. 176.

Lipsiae 1832. 8.

Juncta Macro, cura viri doctissimi L. Choulant. —

Indicantur in notis Syllabis:

Choul. — Editio Choulantiana.

Vien. — Editio princeps Vindobonensis.

Nor. — Edit. Norimberg.

Atr. — Ed. Atrociana 1527.

Frc. — Ed. Francofurt. s. a.

Mon. — Codex Ms. Monacensis (Cod. lat. 666. 8.) chartaceus, literis minusculis exaratus, additis interdum notis marginalibus. Incipit:

„Strabo de cultura ortorum.“ In fine habet: „Finis, laus Deo. H. S. Ï. 1467.“

I.

JOANNI STABIO

DIVI CAESARIS MAXIMILIANI CHRONOGRAPHO F. BENEDICTUS CHELIDONIUS IN STRABI MONACHI HORTULUM.

Hercynia in Fulda Strabus quae legerat olim
    Sub Rabano florum semina Musophilo,
Sevit in hoc obiter cecinitque cucullifer horto,
    Grata Napaearum munera praticolûm,
Et medicas docuit vires cultumque decentem
    Hyblaeae segetis carmine dulcisono.
Barbaries Germana sed hunc neglexit agellum,
    Atque diu passa est delituisse nimis.
Ast ubi de Graiis veniens ad Tibridis oras
    Ad nostras tandem docta Minerva redit,
Frigidus et Phoebum Rhenus nunc audit et Ister
    Aemulus Eurotae concrepat Aonidas;
Hortulus hic iterum longae post tempora brumae
    Surgit odoriferae pulcher honore comae.
Incinctae viden' ut calathis per gramina nymphae
    Alba, suo Stabio grata, ligustra legunt,
Inprimisque Aegle se plura legendo fatigans,
    Aegle Narcisso pulchrior atque Rosis,
Lilia pro lauro Tibi, Caesaris optime vates,
    Colligit et Stabio Delphica serta plicat.
Quem iuvat hortenses igitur decerpere fructus,
    Huc ades, en dulces iste libellus habet.

Lector ibi mutas pridem mirabere Musas,
Non rude nostrates nunc resonare melos,
Castalidesque atros non devitare cucullos,
Nam cellas colit et Delius antra libens,
Pythiaque abdebat tenebris sese ante sacerdos,
Quam responsa daret versibus implicita,
Quin latitans nebulis et rupibus inter opaca
Vates fit Moses devia grandiloquus.
Non igitur mirum, fateor, si Strabus in umbris
Hausit dona pater talia Castalidum,
Insuper interpres vivacis acumine sensus
Utraque qui novit biblia perspicuo.

II.

ARBOGASTUS STRUB GLARONENSIS
VIENNAE PALAESTES JOACHIMO SUO VADIANO.

Abs Te quum legerem nuper transmissa, Joáchim,
Paestana Strabi culta vireta manu;
Dignus uterque mihi visus gestare coronas,
Quas Clarius tribuit vatibus ipse suis,
Quasque solent faciles pueris donare Napaeae
Contextas violis pupureisque rosis.
Strabus enim, fluido quae scripsit carmine quondam
Herbarum cultus resque Priape tuas,
Crescit, et innumerum lepido res parva nitore
Perpetuumque decus reptilis arbor habet.
Dignus, Apollo suis manibus cui tempora cingat
Lauro, cui Musae serta sacrata ligent.
Tu sedenim, longo latuit qui tempore, vatem
Dulciloquum caeco carcere destituis,

Quod facis in populum claro procedere vultu,
Qui carie obscurus vixerat ante diu.
Scilicet in longos si gloria ducitur annos,
Priscorum in lucem qui monumenta dabunt,
Te maueant merito iugis pia praemia laudis,
Nec rapiant nomen saecla futura Tuum.

III.

Non manus excoluit violas Aegleia tantum,
Nec fovit virides Hesperetusa comas,
Non Heretusa quidem tantis dedit usibus artus,
Dum legeret cupidis aurea mala volis,
Nec qui Phaenicei tenuit palmeta viroris
Herodes, ruris tantus in arte fuit;
Quantus qui Paesti superat viridaria Strabus,
Quique Dei cultor, cultor et areolae.
Auditor quondam Rabani cognomine Mauri,
Coniunxit Musae dogmata sancta suae.
Carmine dulciloquo viret hic quem condidit hortus,
Nomen et exspectat saecula multa suum.
Si legis, en praesto est quae sit non vilis in herbis
Virtus, quae morbi quaeque medela gravis,
Et tenui (ad summum) lector facilique libello
Perpetua dignum laude paravit opus.

— Vita hominum duratio rosae —

HORTULUS AD GRIMALDUM ABBATEM.

I. PRAEFATIO.

Plurima tranquillae cum sint insignia vitae,
Non minimum est, si quis Paestanae deditus arti
Noverit obsceni curas tractare Priapi.
Ruris enim quaecunque datur possessio, seu sit
Putris arenoso qua torpet glarea tractu,
Seu pingui molita graves uligine foetus,
Collibus erectis alte sita, sive iacenti
Planicie facilis, clivo seu vallibus horrens:
Non negat ingenuos olerum progignere fructus,
Si modo non tua cura gravi compreſsa veterno
Multiplices olitoris opes contemnere stultis
Ausibus assuescit, callosasque aere diurno

V. 2. Paesti s. Posidoniae, Lucaniae oppidi, roseta celebrata Virgilio, Georg. IV. 119, Columellae, Cult. Hortor. v. 37. Bis anno ibi floruisse rosas narrat Servius in Comment ad Virgil. Cf. Voss, Erklärung der Georgica. *Rosam semperflorentem* L. Paesti primum cultam fuisse, sunt qui dicant. — 3. Priapus, Lampsaci ad Hellespontum potissimum cultus, furum aviumque maxima formido. V. Horat. Satyr. I, VIII, 4. Virgil. Georg. IV. 112. Colum. C. II. 109. Ovid. Fast. I. 415. — 4. Cf. Colum. C. II. 6: „Principio sedem numeroso praebeat horto Pinguis ager cet. — quacunque Mon. — 5 Glarea ieiuna Virg. Georg. II 212. — 6. Uligo pinguis Virg. Georg. II. 184. — 8. „An legendum sit: vallibus haerens“ Choul. — 10 „Gravi torpere veterno“ Virg. Georg. I. 124. —

Detrectat fuscare manus et stercora plenis
Vitat in arenti disponere pulvere qualis.
Haec non sola mihi patefecit opinio famae
Vulgaris, quaesita libris nec lectio priscis:
Sed labor et studium, quibus otia longa dierum
Postposui, expertum rebus docuere probatis.
Bruma senectutis vernacula, totius anni
Venter et ampliflui consumtrix saeva laboris,
Veris ubi adventu terrarum pulsa sub imas
Delituit latebras, vestigiaque horrida avarae
Ver hiemis reduci rerum delere pararet
Stemmate, et antiquo languentia rura nitori
Reddere — Ver orbis primum caput et decus anni —
Purior aura diem cum iam reserare serenum
Inciperet, Zephyrosque herbae floresque sequuti
Tenuia porrigerent radicis acumina, cocco
Tecta diu gremio canasque exosa pruinas;
Cum silvae foliis, montes quoque gramine pingui,
Prataque conspicuis vernarent laeta virectis:
Atriolum, quod pro foribus mihi parva patenti
Area vestibulo solis convertit ad ortum,
Urticae implerunt campique per aequora parvi

---

13. Stercore, Choul. — 14. Quallis Nor. Frc. squalis Mon. Quali s. quala sunt corbes viminei. Virg. Georg. II. 241, Colum. R. R. VIII. 3. — 20. Bruma iners. Horat. Carmin. IV. 7. — 22. Dilituit Mon. Atr. Canis. Delicuit scribendum, alioquin immanis fuerit Barbarismus. Barth. 23 Pararit Barth. — 24 Sccmate Mon. Nor. — 25 Virgil. Georg. II. 336. „Ver illud erat, ver magnus agebat Orbis et hibernis parcebant flatibus Euri, Cum primae lucem pecudes hausere virûmque Ferrea progenies duris caput extulit arvis.“ Colum. H. C. 209. Plinius Hist. Nat. XVI. 25. — 27 Zephyroque Canis. — 32 Foribus in parva Mon. — 34 V. Macer de Urtica: „Fervida non modice vis illi dicitur esse, Unde nec inmerito nomen sumsisse videtur, Tacta quod exurat digitos urtica tenentis.“ —

Illita ferventi creverunt tela veneno.
Quid facerem? tam spissus erat radicibus infra
Ordo catenatis, virides ut texere lentis
Viminibus crates stabuli solet arte magister,
Ungula cornipedum si — quando humore nocetur
Collecto — putres imitatur marcida fungos.
Ergo moras rumpens Saturni dente iacentes
Aggredior glebas, torpentiaque arva revulsis
Sponte renascentum complexibus urticarum
Erigo et umbricolis habitata cubilia talpis
Diruo, lumbricos revocans in luminis oras.
Inde Noti coquitur flabris solisque calore
Areola et lignis, ne diffluat, obsita quadris
Altius a plano modicum resupina levatur.
Tota minutatim rastris contunditur uncis,
Et pinguis fermenta fimi super insinuantur.
Seminibus quaedam tentamus oluscula, quaedam
Stirpibus antiquis priscae revocare iuventae.
Denique vernali interdum conspergitur imbre
Parva seges, tenuesque fovet praeblanda vicissim
Luna comas; rursus si quando sicca negabant
Tempora ruris opem, culturae impulsus amore —
Quippe siti metuens graciles torpescere fibras —
Flumina pura cadis inferre capacibus acri
Curavi studio et propriis infundere palmis
Guttatim, ne forte velocior impetus undas
Ingereret nimias et semina iacta moveret.

---

38 Virg. Georg. I. 95. Calpurn. Eclog. I. 58. — 39 Nocetur non est illatinum, nocere aliquem dicebat aetas eadem. Barth. — 41 Falx Saturni dens apud Virg. Georg. II. 406. — latentes Frc. Choul. — 44 Umbriculis Atroc. Canis. — 50 Insinuatur Atroc. Canis. — 51 Temptamus Mon. Nor. — 57 Colum. C. II. 112. —

Nec mora, germinibus vestitur tota tenellis
Areola et quanquam illius pars ista sub alto
Arescat tecto, pluviarum et muneris expers
Squalleat aërii, pars illa perennibus umbris
Defugiat solem, pars haec, quia celsior, igni
Sideris accessum lateris neget obice duri:
Non tamen ulla, sibi fuerant quae credita pridem,
Spe sine crementi pigro sub cespite clausit.
Quin potius, quae sicca fere translata subactis
Suscepit scrobibus, redivivo plena virore
Restituit reparans numeroso semina fructu.
Nunc opus ingeniis, docili nunc pectore et ore,
Nomina quo possim viresque attingere tantae
Messis, ut ingenti res parvae ornentur honore.

II. SALVIA.

Lilifagus prima praefulget fronte locorum,
Dulcis odore, gravis virtute atque utilis haustu,
Pluribus haec hominum morbis prodefse reperta,
Perpetuo viridi meruit gaudere iuventa.
Sed tolerat civile malum; nam saeva parentem
Progenies florum, fuerit ni demta, perurit,
Et facit antiquos defungier invida ramos.

---

64 Muneris aërii i. e roris. — 66 Diffugiat Nor. Frc. Choul. — D. s. paries cui celsior ignei Mon. — 67 Negat Vien. Nor. Atr. Frc. — 70 Feret Vien. Atr. Frc. fere et Nor. — 73 Virg. Aeneid. VI. 261. — 75 ingenii Choul. — 76 Elelifagus Vien. Elifagus Nor. Lelifagus Mon. Elelisphacus Frc. L. prima p. honore locorum Nor. Choul. Salvia officinalis L. Ἐλελίσφακος Dioscorid. summa ubique ab aevi medii scriptoribus laude effertur Cf. Macer Cap. XXIV edit. Atroc. — Regimen Salernitan. Cap. LX. edit. Cur. „Cur moriatur homo, cui Salvia crescit in horto!“ — 81 Virg. Georg. I. 77. — 82. Diffungier Mon. —

III. RUTA.

Hoc nemus umbriferum pingit viridissima Rutae
Silvula caeruleae, foliis quae praedita parvis
Umbellas iaculata graves, spiramina venti
Et radios Phoebi caules transmittit ad imos,
Attactuque graves leni dispergit odores.
Haec cum multiplici vigeat virtute medelae,
Dicitur occultis apprime obstare venenis,
Toxicaque invasis incommoda pellere fibris.

IV. ABROTANUM.

Nec minus Abrotani promtum est mirarier alte
Pubentis frutices, et quas inspicat aristas
Ramorum ubertas, tenues imitata capillos
Huius odoratum lento cum vimine crinem
Paeoniis carptum prodest miscere medelis.
Febribus obstat enim, telum fugat, adiuvat artus
Quos incerta premit furtivae iniuria Guttae.
Praeterea tot habet vires quot fila comarum.

V. CUCURBITA.

Haud secus altipetax semente Cucurbita vili

---

83 Ruta graveolens L. Cf. Hildegardis Physic. II. 29. Regim. Salern. Cap. LXI. „Salvia cum Ruta faciunt tibi pocula tuta." — 91. Abrotoni Canis. Artemisia Abrotanum L. Macer, cap. II Ed. Choul „sedat quoque frigora febris — spinas infixas extrahit" — Ἀβρότονον, διὰ τὸ πρὸς ὄψιν ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι Schol. Nicandri. — 95. Ovid. Metam. XV. 535. — 97. Podagram Gutta significat, ut retinet etiam Gallicismus. Barth. V. Bartholom. Anglic. proprietat. rerum L. VII. 59. Aegid. Corbol. Compos. Medicam. L. IV 195. Du Cange Glossar. II. 761 — incerta; instabilis, vaga — furtiva; subrepens non intellecta. — 98. File Nor. — 99. Cucurbita lagenaria L. „Ingeniosum est hoc caput, nec a melioribus auctoribus melius concinnatum videtur" Canis.

Assurgens, parmis foliorum suscitat umbras
Ingentes, crebrisque iacit retinacula ramis.
Ac velut ulmum hedera implicuit cum frondibus altam,
Ruris abusque sinu toti sua brachia circum
Laxa dedit ligno, summumque sequuta cacumen
Corticis occuluit viridi tutamine rugas
Aut arbustivum vitis genus, arbore cum se
Explicuit quavis, ramorumque alta corymbis
Vestiit et propria sursum se sponte levavit,
Visitur ergo rubens aliena in sede racemus
Dependere, premit tabulata virentia Bacchus,
Pampinus et frondes discernit latior altas:
Sic mea sic fragili de stirpe Cucurbita surgens
Diligit adpositas sua sustentacula furcas,
Atque amplexa suas uncis tenet unguibus alnos.
Ne vero insano divelli turbine possit,
Quot generat nodos, tot iam retinacula trudit,
Et quoniam duplicem producunt singula funem,
Undique fulturam dextra laevaque prehendunt.
Et velut in fusum nentes cum pensa puellae
Mollia traiiciunt, spirisque ingentibus omnem
Filorum seriem pulchros metantur in orbes:
Sic vaga tortilibus stringunt amenta catenis
Scalarum teretes involvuntque illico virgas,
Viribus et discunt alienis tecta cavarum

---

102. V. Plinius Hist. Nat. XVI 34. — 105. Virg. Georg. II 367. 110. tabulate Nor. Tabulata sunt ordines ramorum in arboribus, ulmis inprimis, prominentium, quos recisis aliis ita in plana tendunt, ut Servius ait, dilatant ac per gradus deflectunt agricolae, ut robustiores palmites unum post alterum ramum attingere iisque sese applicare possint. Cf. Colum. R. R. VI. 11, 12. — 114. *Alnus glutinosa* L. arbor in Germania ea aetate plurima nascens. — 119. Virg. Georg. I 390, IV. 348. — 124 Ediscunt Mon. —

Ardua porticuum volucri superare natatu.
Jam quis poma queat ramis pendentia passim
Mirari digne! quae non minus undique certis
Sunt formata viis, quam si tornatile lignum
Inspicias medio rasum quod Mymphure constat.
Illa quidem gracili primum demissae flagello
Oblongo tenuique ferunt ingentia collo
Corpora, tum vastum laxatur in ilia pondus,
Totum venter habet, totum alvus, et intus aluntur
Multa cavernoso seiunctim carcere grana,
Quae tibi consimilem possunt promittere messem.
Ipsos quin etiam teneri sub tempore fructus,
Ante humor quam clausa latens per viscera sero
Auctumni adventu rarescat et arida circum
Restiterit cutis, inter opes transire ciborum
Saepe videmus et ardenti sartagine pinguem
Combibere arvinam, et placidum segmenta saporem
Ebria multoties mensis praestare secundis.
Si vero aestivi sinitur spiramina solis
Cum genitrice pati et matura falce recidi,
Idem factus in assiduos formarier usus
Vasorum poterit, vasto dum viscera ventre
Egerimus, facili rodentes ilia torno.

---

125. Meatu Glossa apud Canis. — 129. Mansure Nor. In margine Mon. „Mamfur est lorum tornatoribus aptum, quod hic pro ipso fulcro ponitur.“ — Mymphur est lignum mediocris longitudinis, rotundum, quod loro circumvolutum fabri circumagunt in operibus tornandis. Calepinus. — 133. V. Columella, R. R. X. 381. — 136. Ipsis Vien. Choul. ipsa quin Barth. — 137. Latent Frc. — 139. Plinius Hist. Nat. XIX. 5. De Conditura Cucurbitarum vid. Caelius Apicius art. coquinar. III. 4. — 140 Sartago est patella, in qua caro frigitur Plin. H. N. XVI. 11. — 141. Urinam Frc. Seementa Mon. Arvina i. q. adeps. Virg. Aeneid. VII. 627. — 147. Tornus est instrumentum fabrile, quo ligna polita redduntur. Virg. Georg. II. 449. —

Nonnunquam hac ingens sextarius abditur alvo,
Clauditur aut potior mensurae portio plenae,
Amphora quae piceo linitur dum glutine, servat
Incorrupta diu generosi dona Lyaei.

VI. PEPONES.

Hoc simul in spatio campi quo figitur imis
Haec tam laeta seges, vili quam carmine pinxi,
Visitur alterius vitis genus aere per aequor
Serpere pulvereum et fructus nutrire rotundos
Pomorum. Haec species terrae super arida vulgo
Terga iacens crementa capit pulcherrima, donec
Solibus aestivis flavos intincta colores
Messoris calathos matura fruge replerit.
Tum videas aliis teretem satis esse figuram,
Undique porro aliis oblongo stemmate ventrem
Demissum, nucis aut ovi versatilis instar;
Vel qualis manibus quondam suspensa supinis
Lucet agens circum lomenti bulla salivam,
Ante recens maceratur aquis quam spuma refusis,
Dum lentescit adhuc digitis luctantibus et se
Alternis vicibus studioque fricantibus uno,
Inter utranque manum parvo fit parvus hiatu
Exitus, huc stricto lenis meat ore Noti vis,

---

150. Colum. C. H. 383. „sobolem dabit illa capacem Naryciae picis aut Actaei mellis Hymetti, Aut habilem lymphis hamulam Bacchoque lagenam.“ — 153. Lenta Mon. lata Nor. — 154. Cucumis Melo L. — 157. Tecta Vien. Frc. Choul. Virg. Georg. I. 97, II. 236. — 160, 161 sic restitui e Cod. Mon. — 165. Lomentum est smegma Barth. „Sicut inter manus lavandas nonnunquam oritur bulla saponacea, quum lomenti spuma assidue manibus teritur aqua recenti non affusa“ Choul. — 168. Sit Nor. —

Distenditque cavum vitrea sub imagine pondus
Et centrum medio confingit labile fundo,
Undique conveniat cameri quo inflexio tecti.
Ergo chalybs huius penetrat dum viscera pomi,
Elicit humoris largos cum semine rivos
Multiplici: tum deinde cavum per plurima tergus
Frusta manu spargens hortorum laetus opimas
Delicias conviva capit, candorque saporque
Oblectant fauces; nec duros illa molares
Esca stupere facit, facili sed mansa voratu
Vi naturali frigus per viscera mittit.

VII. ABSINTHIUM.

Proximus Absinthî frutices locus erigit acris,
Herbarum matrem simulantes vimine lento.
In foliis color est alius ramisque odor alter
Puberibus, longeque saporis amarior haustus.
Ferventem domuisse sitim, depellere febres
Hoc solet auxilium clara virtute probatum.
Si tibi praeterea caput acri forte dolore
Pulsetur subito, vel si vertigo fatiget,
Huius opem rimare, coquens frondentis amaram
Absinthî silvam, tum iura lebete capaci
Effunde et capitis perfunde cacumina summi.
Quo postquam ablueris graciles humore capillos,
Devinctas frondes super imposuisse memento,
Tum mollis fotos constringat fascia crines,
Et post non multas elapsi temporis horas
Hoc inter reliquas eius mirabere vires.

---

170. Distendique Nor. — 172. Camerae q. i. tectae. Nor. — 176. Frustra Mon. — 178. molares, scil. dentes. Juvenal. Satyr. XIII. 212. — 181. Fruticis Nor. Artemisia Absinthium L. — 182. Herbarum mater est Artemisia vulgaris Cf. Macer Cap. I. 2. — 184. Inde nomen Ἀψίνθιον, quasi indelectabile V. Bekmann. Origin L. L. pag. 180. — 193. Devincas Vien. —

VIII. MARRUBIUM.

Quid referam iuxta positi nimiumque potentis
Marrubii non vile genus, licet acrius ora
Mordeat et longe gustum disiungat odore.
Dulce enim olet, non dulce sapit, sed pectoris aegros
Conprimit angores, tristi dum sumitur haustu,
Praecipue talis calcat si potus ab igni,
Et caenam cyathis cogatur claudere crebris.
Si quando infensae quaesita venena novercae
Potibus inmiscent, dapibusve aconita dolosis
Tristia confundunt, extemplo sumta salubris
Potio Marrubii suspecta pericula pressat.

IX. FENICULUM.

Nec Marathri taceatur honor, quod stipite forti
Tollitur et late ramorum brachia tendit,
Dulce satis gustu, dulcem satis addit odorem,
Hoc oculis quos umbra premit prodesse loquuntur.
Huius item semen factae cum lacte capellae
Absumtum ventris fertur mollire tumorem,
Cunctantisque moras dissolvere protinus alvi.
Praeterea radix Marathri commixta liquori
Lenaeo tussim percepta repellit anhelam.

X. GLADIOLA.

Te neque transierim latiae cui libera linguae

---

198. Ballota nigra L. Cf. Plin. H. N. XX. 22. — 199. Distinguat Mon. — 201. Cf. Macer v. 1441. Edit. Choul. — 204. Ovid. Metamorph. I. 147. — 205. Ovid. Metam. VII. 419. — 206. exemplo Nor. — 208. Anethum Feniculum L. „Marathrum Graecus vocat illud" Macer Cap. XVII. Edit. Choul. — 212. Serenus Samonic. de Medic. v. 192. Edit. Hummelberg. „Semina vel Marathri factae cum lacte capellae Desuper induces." — Idem v. 292 „laticem Bacchi factae cum lacte capellae." — 215. Regimen Salernit. Cap. XLIX. Edit. Curion. Celsus de Medic. II. 26. — 217. Gladiolus communis L.

Nomine Digladii nomen facundia finxit.
Tu mihi purpurei progignis floris honorem,
Prima aestate gerens violae iucunda nigellae
Munera, vel qualis mensa sub Apollinis alta
Investis pueri pro morte recens Hyacinthus
Exiit et regis signavit vertice nomen.
Radicis ramenta tuae siccata fluenti
Diluimus contusa mero, saevumque dolorem
Vesicae premimus tali non secius arte.
Pignore fullo tuo lini candentia texta
Efficit ut rigeant dulcesque imitentur odores.

XI. LIBYSTICUM.

Inter odoratam memorare Libystica silvam
Fortia suadet amor parvi diffusior horti.
Hoc germen succo quamvis et odore gemellis
Orbibus officere et tenebras inferre putatur,
Semina saepe tamen quaesitis addere curis
Parva solent, famamque aliena laude mereri.

XII. CEREFOLIUM.

Quae tot bellorum tot famosissima rerum
Magnarum monumenta sacro pia conficis ore,
Exiles Erato non dedignare meorum
Divitias olerum versu perstringere mecum.

---

220. Viola odorata L. — 221. V. Virg. Eclog. III. 106. Ovid. Metamorph. X. 215, XIII. 398. „AI AI flos habet inscriptum funestaque litera ducta est." — 222. investis i. q. inberbis — Jacinctus Mon. — 223. Et floris s. Mon. — 229. It odernoratam Nor. Lybistica Frc. Ligusticum Levisticum L. V. Macer cap. XXV. Ed. Choul. „A. Ligurum patria sumsere Ligustica nomen, Copia quod maior ibi nascitur illius herbae." — 231. Cf. Macer cap. c. „Hanc herbam — oculis Strabus potuque et odore nocivam Asserit, antidotis eius tantummodo semen Misceri iussit." — 232. Putetur Nor. — 236. Monimenta Mon. —

Infirmis divisa licet Macedonia ramis
Spargitur et crebis ignobile semen aristis
Sufficit, illa tamen toto reparabilis anno
Pauperiem largo solatur munere plebis
Indiguae, nec non restringere sanguinis undas
Corpore diffusas facili solet obvia gustu.
Illa quoque, infesto venter dum forte dolore
Turbatur, fomenta super non inrita ducit,
Pulcium sibimet frondesque papaveris addens.

XIII. LILIUM.

Lilia quo versu candentia, carmine quove
Jeiunae macies satis efferat arida Musae!
Quorum candor habet nivei simulachra nitoris,
Dulcis odor silvas imitatur flore Sabaeas.
Non parius candore lapis, non nardus odore
Lilia nostra premit; nec non, si perfidus anguis
Ingenitis collecta dolis serit ore venena,
Pestifero caecum per vulnus ad intima mortem
Corde feram mittens, pistillo Lilia praestat
Commacerare gravi, succosque haurire Falerno.
Si quod contusum est summo liventis in ore
Ponatur punctim, tum iam dinoscere vires
Magnificas huiusce datur medicaminis ultro.
Haec etiam luxis prodest contusio membris.

---

239. Macedonica Nor. Scandix Cerefolium L. — 243. Indignae Omnes. „Jndiguae legendum pro indignae, nam illud alterum homine Christiano indignum" Barth. — 248. Lilium candidum L. V. Plinius Hist. Nat. XXI. 5. — 251. Virg. Georg. II. 117. — 252. Virg. Georg. III. 54. De Nardo vid. Plin. H. N. XII. 12. — 256. Fero. Mon. — 259. Puncti Nor. V. Bartholom. Angl. propr. rer. XVII. 91. 261. Laxis Nor. Choul.

XIV. PAPAVER.

Et Cereale quidem nugarum in parte Papaver
Hac memorare placet, quod raptu moesta puellae
Mater, ut immensis optata oblivia mentis
Exuerent curis, fertur Latona vorasse.
Hoc simul auxilio carbunculus ater ab imo
Pectore qui ructus nimium convolvit amaros
Oris adusque fores reprimi persaepe videtur.
Huius ad alta caput granorum semine foetum
Protento fragilique solet se tollere collo,
Inque modum mali, regio cui punica nomen
Indidit, unius patulo sub pellis amictu
Grana celebrandae virtutis plurima claudit,
Deque sono mandentis habet formabile nomen.

XV. SCLAREA.

Hic umbrosa novos inter Sclarea virores
Stipite praevalido adsurgens, ramosque comasque
Altius extollit, quae quamvis rarius ulli
Quaesita auxilio, medicorum paene putetur
Effugisse manus; dulci tamen indita caldae

---

262. Virg. Georg. I. 212. Papaver somniferum L. — 263. Rapta m. puella Mon. raptae m. puellae Choul. V. Ovid. Metam. V. 471. — 265. Proserpinae mater Ceres falso hic Latona vocatur. Mythologia, sicut historia profana, cum omni aevo medio ante restauratas scientias inventamque artem typographicam obscura esset et dubia, variis hinc locus erat Anachronismis falsisque rerum et nominum explicationibus, quorum, ut caetera taceam, exemplum exstat in Commentariis ad Boëthii Consolat. Philosophiae, qui Thomae Aquinatis nomen prae se ferunt, L. III. Pros. 8. „Alcibiades fuit mulier pulcherrima." — 266. V. Seren. Samon. de Medic. 710. Ed. Humelb. — 271. Malum Granatum. Plin. H. N. XIII. 29. — 274. Papaver dicitur a papo, sicut cadaver a cado Vossius. Papare est manducare puerorum V. Plautus, Epidic. V. 2. 62. Persius, Satyr. III. 17. — 275. Sclarega Mon. Scarlea Nor. Salvia Sclarea L. — 279. Caldae scilic. aquae Sic Martial. Epigr. I. 12. „iam defecisset portantes calda ministros." Du Cange I. 758. Seren. Sam. de Med. v. 534. —

Et vires et odorati fermenta saporis
Praestat; eam iuxta hortensis non extima Costi
Silva latet, stomachique moras ventremque salubri
Provocat auxilio, radicis munere coctae.

XVI. MENTHA.

Nec mihi defuerit vulgaris copia Menthae
Multa per et genera et species diversa coloresque
Et vires: huius quoddam genus utile vocem
Raucisonam claro rursus redhibere canori
Posse putant, eius succos si fauce vorarit
Jeiuna, quem crebra premens raucedo fatigat.
Est aliud praepingue genus huiusce fruteeti,
Quod iam non parvi diffundit germinis umbras,
Celsa Ebuli sed more petens a stipite forti
Undique maiores foliorum prorogat alas,
Quîs odor alter inest pauloque inmitior haustus.
Sed si quis vires, species et nomina Menthae
Ad plenum numerare potest, sciat ille, necesse est,
Aut quot Erythraeo volitent in gurgite pisces,
Lemnius aut altum quot in aëra Mulciber ire
Scintillas vastis videat fornacibus Aetnae.

XVII. PULEGIUM.

Non patitur cunctas angustia carminis huius
Pulei virtutes celeri comprendere versu.

---

281. Praestat tam. Nor. Costus hortensis est Balsamita vulgaris. V. Conrad. Gesner. Hort. German. — 284. Mente Nor. Menthae L. species ea aetate cultae erant M. piperita, crispa, silvestris, aquatica — Seren. Samon. de Medic. v. 21. — 285. Divisa Mon. — 286. Loquitur poeta de Mentha silvestri, de qua Hildegardis Physic. II. 41. „Homo qui dumpfet et pinguia viscera habet, Bachminzam saepe comedat et dumpfo cessabit.“ — 291. Diffundat Choul. — 292. Sambucus Ebulus L. — 293. Porrigat, Canis. — 295. Si qui, Choul. Virg. Georg. II. 105. — 297. Mare rubrum. Plin. H. N. VI. 23. — 298. Mulcifer Nor. — 301. Mentha Pulegium L.

Hoc apud Indorum tanti constare peritos
Fertur, apud Gallos quantum valet Indica nigri
Congeries piperis. Quis iam dubitare sinetur
Hac herba plures leniri posse labores,
Quam pretiis inhianter emit ditissima tantis
Gens ebenoque auroque fluens et mira volenti
Quaeque ferens mundo. O magni laudanda Tonantis
Virtus et ratio, nullis quae munera terris
Larga suae non pandit opis: quae rara sub isto
Axe videre soles, aliis in partibus horum
Copia tanta iacet, quantam vilissima rerum
Efficiunt, rursus quaedam quae spreta videntur
Forte tibi, magno mercantur ditia regna,
Altera ut alterius potiatur faenore tellus,
Orbis et in toto per partes una domus sit.
Puleium quoque decoctum curabit amice
Et potu et fotu stomachum, mihi crede, morantem.
Dum canimus quae certa gravi ratione tenemus,
Quaedam audita etiam vero miscere cothurno
Fas ususque sinit: ramum coniungito Pulei
Auriculae, ne forte caput turbaverit aestus
Solis, in aerio si te perflarit aperto.
Quod nisi me currens deponere vela Thalia
Cogeret ac tandem portus intrare moneret,
Hinc tibi multiplices poteram decerpere flores.

XVIII. APIUM.

Quamvis in nostris Apium vilesceret hortis,

---

503. Inclita nigri Mon. Cf. Regim. Salern. Cap. LXXV. Ed. Cur. — 507. Virg. Georg. II. 117. — 512. vilissima tecum Choul. — 517. Seren. Samon. de Medic. v. 307. Edit. Humelb. „Puleium quoque decoctum curabit amice Et potu et fotu Stomachum conducit anethum." — 520. Et iam. Nor. — 522. Auricole Nor. — 524. Virg. Georg. IV. 116. — 527. Apium Petroselinum L. V. Macer v. 332. Ed. Choul. „Est Apium dictum quod apex hanc ferre solebat Victoris, veterum fieret dum more triumphus." —

Et solito id multi prodesse sapore notarent,
Plura tamen propriis medicamina viribus acri
Exhibet auxilio, cuius si trita capessas
Semina, torquentes urinae frangere tricas
Dicitur, ipsum etiam tenero cum gramine mansum
Concoquit errantes stomachi penetralibus escas.
Corporis hunc regem turbans si nausea vexet,
Mox Apium lympha tristique bibatur aceto,
Passio tum celeri cedet devicta medelae.

XIX. BETONICA.

Montibus et silvis pratis et vallibus imis
Betonicae pretiosa licet collectio cunctis
Paene locis superet passim, tamen hanc quoque noster
Hortus habet cultaque docet mansuescere terra.
Haec tantum meruit generali nomine laudis,
Ut si quid mea Musa velit supperaddere, tandem
Mole operis devicta sui iam sentiat, illa
Utilitate minus quicquid deprompserit esse.
Hanc viridem si forte tuos coneris in usus
Carpere, siccatamve hiemi deponere pigrae,
Turbida sive tuas oblectant pocula fauces,
Seu potius longo tibi defaecata labore
Dona placent, huius virtus mirabilis herbae
Omnia sufficiet, quam quosdam pendere tanti

---

328. solido Nor. putarent Mon. putarunt Nor. — 331. Cf. Plin. Valerian. de re medica Cap. XX. Celsus de Medic. II. 31. — 334. Seren. Samon. de Medic. v. 294 Ed. Humelb. „Qui Stomachum regem totius corporis esse Contendunt, vera niti ratione videntur, Huius enim validus firmat tenor omnia membra, Et contra eiusdem franguntur cuncta dolore" Cf Aretaeus morb. chronic. II. 6. Plin. Valerian. de Re med. XXIII. Regim. Salern. cap. XXI. Ed. Sylv. — 336. Dum Nor. — 338. Vetonicae Mon. Vectonicae Nor. Bettonicae Vien. V. Anton. Musae de herba Betonica L. Basil. in Coll. Torini 1525. Fol. Betonica officinalis L. — 339. Pone Frc. — 350. Cf. Baptistae Fierae Coena, Cap. 144. (Frcof. 1571.) — Plin. H. N. XXV. 8.

Novimus ut contra, totum si iniuria corpus
Impetit interius, muniri viribus eius
Sese posse rati, soleant haurire diebus
Continuis hoc acre genus medicaminis almi.
Praeterea caput infesto si vulnere fractum
Tabuerit, tum crebra premens imponito sacrae
Tegmina Betonicae, statim mirabere vires
Illius, in solidum fuerit dum clausa cicatrix.

XX. AGRIMONIA.

Hic quoque Sarcocolam campos quae plurima passim
Vestit et effactis silvarum inventa sub umbris
Nascitur, ordinibus facile est discernere pulchris
Haec praetèr varium latae virtutis honorem,
Trita domat ventris praedirum et pota dolorem.
Si quae forte chalybs infensus vulnera membris
Indiderit nostris, huius tentare iubemur
Auxilium, partique imponere tonsa patenti
Germina, maturum nacturi hac arte vigorem,
Si tamen addatur mordens cataplasmati acetum.

XXI. AMBROSIA.

Haud procul Ambrosiam vulgo quam dicere mos est
Erigitur, laudata quidem, sed an ista sit illa,
Cuius in antiquis creberrima mentio libris
Fit, dubium est multis. Medici tamen arte suapte

---

355. V. Macer v. 444, Ed. Choul. „Tritaque fracturae capitis haec sola medetur.“ — 359. In margine Mon. „Agrimonia quae sarculo colitur.“ Agrimonia Eupatorium L. Cf. Apuleius virtut. herbar. Cap. XXXI. — 360. Effactis i. q. sterilibus. V. Virg. Georg. I. 81. „effactos per agros.“ — 364. Quod si forte Nor. — 365. Temptare. Vien. — 369. Ambrosia s. Athanasia est vel Tanacetum vulgare vel Artemisia campestris L. Cf. Vincent. Belvacens. Specul. X. 34. „Ambria vel Ambrosia est vagi nominis et circum varias herbas fluctuans“ — Plin. Hist. Nat. XVII. 4. Chenopodium Botrys interpretatur Denis l. c. — 371. Celeberrima Mon.

Hanc utcunque colunt, tantum vel sanguinis hausta
Absumit, quantum potus ingesserit alvo.

XXII. NEPETA.

Herbarum in numero, quas Hortulus ille recenti
Semper prole creat, Nepetae non segnior exit
Surculus, urticam foliis simulantibus, alto
Vertice praegratum late largitus odorem.
Haec variis olim morborum accommoda curis,
Non extrema alias inter decernitur herbas;
Huius enim succus, roseo commixtus olivo,
Efficit unguentum, laesae quod vulnera carnis
Atque cicatricum deformia signa novarum
Posse abolere aiunt, prisco reparare nitori
Et revocare pilos, plagae quos forte recentis
Pestis hiulca tulit, sanie taboque peresos.

XXIII. RAPHANUS.

Hinc Raphanum radice potens latoque comarum
Tegmine sublatum extremus facit ordo videri.
Cuius amara satis quatientem viscera tussim
Mansa premit radix, triti quoque seminis haustus
Eiusdem vitio pestis persaepe medetur.

XXIV. ROSA.

Jam nisi me fessum via longior indupediret,
Scrupeus atque novi tereretur carminis ordo,
Debueram viburna Rosae pretiosa metallo

---

373. Tantumque haec Choul. tantumve Atr. — 374. Almi Nor. — 376. Nepite Nor. Nor. Nepeta Cataria L. — 384. Prisco et Nor. — 386. Perosos Vien. Choul. — 387. Hic. Nor. Raphanus sativus L. — 389. Quacienti Vien. quatienti Choul. Serenus Samon. de Medic. v. 286. „Interdum fauces tussi quatiuntur atroci — Semina tunc raphani permixto dulcia melle Sumes.“ — 392. Lucret. Rer. nat. II. 101, V. 874. — 393. Scrupeus. difficilis. V. Auson. Idyll. XII. praefat. 394. Rosa centifola L. Bartholom. Anglic. propriet. rer. XVII. 135.

Pactoli et niveis Arabum circumdare gemmis.
Haec; quia non Tyrio Germania tingitur ostro,
Lata nec ardenti se Gallia murice iactat,
Lutea purpurei reparat crementa quotannis
Ubertim floris, tantum qui protinus omnes
Herbarum vicisse comas virtute et odore
Dicitur, ut merito florum flos esse feratur.
Inficit hic oleum proprio de nomine dictum,
Quod quam saepe fiat mortalibus utile curis,
Nec meminisse potest hominum nec dicere quisquam.
Huic famosa suos obponunt Lilia flores,
Longius horum etiam spirans odor imbuit auras;
Sed si quis nivei candentia germina fructus
Triverit, adspersi mirabitur illicet omnem
Nectaris ille fidem celeri periisse meatu.
Hoc quia virginitas fama subnixa beata
Flore nitet, quam si nullus labor exagitarit
Sordis et illiciti non fregerit ardor amoris,
Fragrat odore suo: porro si gloria pessum
Virginitatis eat, faetor mutabit odorem.
Haec duo namque probabilium genera inclita florum
Ecclesiae summas signant per saecula palmas,
Sanguine Martyrii carpit quae dona Rosarum
Liliaque in fidei gestat candore nitentis.
O Mater Virgo, fæcundo germine Mater
Virgo fide intacta, sponsi de nomine sponsa,
Sponsa, columba, domus, regina, fidelis amica,

---

395. Pactolus χρυσοῤῥοος Ovid. Metam. XI. 142. — geminis Vien. 396. Virgil. Georg. III. 17. — 397. Plin. H. N. XXII. 2. — 399. Ubertas Nor. Uber tum Canis. Choul. — 402. Oleum Rosarum. V. Otho Cremon. Elect. medicam. v. 359. Ed. Choul. — 405. Vid. supra vers. 248. Cf. Clin. H. N. XXI. 5. „Lilium rosae nobilitate proximum est, et impositum etiam maxime rosas decet cet." — 407. V. Bartholom. Anglic. propr. rer. XVII. 91. — 413. Flagrat Vien. Choul. — 414. Fateor, mutabit Vien. Choul. — 417. Carpunt Vien. — 418. Gestant Vien. — 420. Virga Canis. Choul. — 421. Litania Lauretana hisce nominibus invocat Beatam Virginem Mariam.

Bello carpe Rosas, læta abripe Lilia pace!
Flos Tibi sceptrigero venit generamine Jesse,
Unicus antiquæ reparator stirpis et auctor,
Lilia qui verbis vitaque dicavit amoena,
Morte Rosas tingens, pacemque et proelia membris
Liquit in orbe suis, virtutem amplexus utramque,
Præmiaque ambobus servans æterna triumphis.

XXV. DEDICATIO.

Hæc Tibi servitii munuscula vilia parvi
Strabo tuus, Grimalde pater doctissime, servus
Pectore devoto, nullius ponderis offert:
Ut cum conseptu viridis consederis horti,
Subter opacatas frondenti germine malos,
Persicus inparibus crines ubi dividit umbris,
Dum Tibi cana legunt tenera lanugine poma
Ludentes pueri, schola lætabunda tuorum,
Atque volis ingentia mala capacibus indunt,
Grandia conantes includere corpora palmis;
Quo moneare habeas nostri, pater alme, laboris,
Dum relegis, quæ dedo volens, interque legendum
Ut vitiosa seces, deposco, placentia firmes.
Te Deus æterna faciat virtute virentem
Inmarcescibilis palmam contingere vitæ.
Hoc Pater, hoc Natus, hoc Spiritus adnuat almus!

---

424. Antiqua Nor. — 426. Tinguens Nor. — 429. Virgil. Eclog. IV. 18. — 430. Pater sanctissime. Barth. In margine habet Nor. „Quod hic Strabonem se nominat, te, lector, minime perturbet, cum etiam et alias saepius, carminis commoditate compulsus, effecerit.“ — 432. Conseptu vilis Nor. — 433. Subter opaccatas Vien. Supter Nor. Super Choul. — 434. Amygdalus Persica L. — 435. Lanugine mala Barth. Virgil. Eclog. II. 51. — 443. Comprendere Nor.

JOANNIS ATROCIANI [1]
SCHOLIA IN STRABI HORTULUM.

Quis unquam in re tam humili scripsit carmen elegantius atque magis doctum, Lector optime, quam sit hoc Strabi Galli Poëtae et Theologi carmen, qui non minus divinarum literarum peritia, quam humanarum scientia claruit. Fuit hic Strabus in coenobio Fuldensi monachus: utinam multos tales haberemus monachos, qui et viventes et mortui prodessent!

V. 1. Tranquillae i. e. quietae. insignia, ornamenta.

V. 2. Paestanae arti. Paestum teste Servio in IV. Georg. [2]) est oppidum Calabriae, in quo uno anno bis nascitur Rosa. Huius meminit Virgilius loco praefato sic:

„Forsitan et pingues hortos quae cura colendi
Ornaret, canerem biferique Rosaria Paesti."

Hinc Strabus ait Paestanae arti, sicut Ovidius de arte [3]) dicens:

„Calthaque Paestanas vincat odore Rosas." —

---

1) Joannes Atrocianus iuvenili aetate haec Scholia conscripsit, editionique priori a. 1527 subiunxit. — 2) v. 119. — 3) Epistol. ex Ponto II. IV. 28.

V. 3. Obsceni Priapi. Quid sibi velit quod obsceni dicit, sequentia declarabunt. Hic Priapus fuit de Lampsaco, civitate Hellesponti, de qua pulsus propter virilis membri magnitudinem, post in numerum Deorum receptus meruit esse numen hortorum. De hoc Horatius: [4])

— „Nam fures dextra coercet
Obscenoque ruber porrectus ab inguine palus,
Ast importunas volucres in vertice arundo
Terret fixa.“

Dicitur autem praesse hortis. Virgilius: [5])

„Hellespontiaci servet tutela Priapi.“

Inde Priapus accipitur pro virili membro. Ex quo etiam Πριαπισμὸς, [6]) cum partes genitales in suam longitudinem protenduntur et in circulum intumescunt sine appetitu Veneris.

V. 16. Sed labor. Audiant segnes et otiosi, qui velut animantia somno dedita et ventri, optimas horas pessime collocant.

V. 25. Ver orbis. Vernum tempus est principium orbis. Vult igitur mundum Martio mense conditum fuisse, propterea quod eo mense omnia succrescant, vel ob eam causam, quod Exodi Cap. XII [7]) mensis hic dicitur anni primus. Sunt qui et Septembrem asserant mundi initium,

---

4. Satyr. I. VIII. 4. — 5. Georgic. IV. 111. — 6. V. Alexandri Tralliani Medic. L. IX. X. Cael. Aurelian. morb. acut. IV. 18. — 7. „Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni.“

et hoc ideo, quod tunc omnia nascentia perfectiora sunt. Nam in Deuteronomio Cap. XXXII legimus:

„Dei opera perfecta sunt." — Quae sententia multis tanquam probabilior arridet. Sed hic nihil certi habemus, nisi quod constat ex Scriptura, Deum caelum et terram condidisse, ut Psalmus XX „Auxilium meum a Domino qui fecit caelum et terram." —

V. 41. Saturni dente. Ligonem intelligit, nam Saturnus peritiam ruris et satorum olim primus edocuisse fertur.

V. 43. Complexibus urticarum. Versus spondaicus, qui habet miram in hac sententia gratiam. Persius: [8]) „Sic costam longo subduximus Apennino."

V. 80. Sed tolerat civile malum. Quid parat civile bellum? Abundantia rerum. Ita ad bellum civile respiciens Strabus loquitur de Salvia. Nam sicut hoc malum ex abundantia natum perdit civitatem, ni caveris; ita saeva progenies florum perurit. De cuius loci elegantia satis cogitare nequeo, precamur igitur Strabo, ut molliter ossa cubent. Nam illud vel unico hoc ingenii sui specimine meruit vir immortalitate dignus, et quem omnes legant, dignissimus. —

V. 89. Adprime, valde. Terentius: [9]) „Id arbitror in vita adprime utile esse."

---

8. Satyr. I. 95. — 9. In Andria I. I. 34.

V. 90. Toxica, venena.

V. 91. Promtum est. Paragoge est in verbo mirarier. Sic etiam Persius Satyr. I. [10]) „At pulchrum est digito monstrari et dicier, hic est!" —

V. 95. Paeoniis, medicinalibus. Paeon enim fuit rei medicae peritissimus.

V. 99. Haud secus. In descriptione Cucurbitae non ovat, sed triumphat Strabus noster, citra omnem controversiam omnium monachorum ingeniosissimus doctissimusque.

V. 110. Bacchus, Botri.

V. 115. Ne vero insano. Impetu ventorum maxime colluctantium.

V. 119. Cum pensa. Virgilianum [11]) hoc est, sicut id, quod sequitur: Spiris ingentibus. [12])

V. 122. Amenta, ligamina.

V. 129. Mymphure. Ligno, quod loro circumvolutum circumagunt fabri in operibus tornandis.

V. 145. Formarier, iterum paragoge.

V. 151. Lyaei. Bacchi, intelligit autem vina per dona Lyaei.

V. 164. Lomentum, inquit Calepinus, Graeci vocant λείωμα, quod tritum proprie significat.

V. 169. Noti. Venti species pro genere.

V. 190. Jura. Liquorem, unde iusculum.

V. 191. Cacumina, Verticem.

V. 206. Extemplo, statim.

---

10. V. 28. — 11. Georg. I. 390. — 12. Aeneid. II. 217. Georg. II. 154.

V. 215. Liquori Lenaeo. vino, nam Bacchus dicitur Lenaeus Georg. [13]) II. „Huc pater o Lenaee veni!“ —

V. 217. Latiae, Romanae.

V. 220. Investis, imberbis. [14])

V. 222. Hyacinthus adolescens fuit Amyclaeus pulcher et honestus satis, dilectus Apollini, quem cum Apollo imprudens disco necasset, mutavit in florem sui nominis. Lege Palaephatum de non credendis fabulosis narrationibus. [15])

V. 231. Gemellis orbibus, oculis.

V. 237. Erato. Virgilius X. [16]) Aeneidos: „Nunc age qui reges, Erato, quae tempora rerum, Quis Latio antiquo fuerit status.“ — Est Erato Musarum una, quae Jovis filiae a poëtis finguntur. —

V. 252. Parius lapis. Marmor. Paros, inquit Solinus [17]) marmore nobilis, ab Delo oppido frequentissime prius Minoia quam Paros dicta.

V. 254. Ingenitis, innatis.

V. 263. Raptae. a Plutone rege inferorum, quem Raptum describit Ovidius in Metamorphos. [18]) et Seneca [19]) de raptu Proserpinae. — puellae, Proserpinae, filiae Cereris.

---

13. V. 4. — 14. Palladius de Agricult. L. VIII. VII. „investes pueros curabis agitare“ etc. — 15. Cf. Lucian. Dialog. Deor. XIV. Plinius H. N. XXI. 11. — 16. L. VII. 37. — 17. Polyhistor, Cap. XX. Cf. Virgil. Georg. III. 34. — 18. L. V. 471. — 19. Claudianus? — Vid. Nota ad vers. 265.

V. 265. Latona. Filia Coei Titani et mater Apollinis et Dianae.

V. 279. Caldae. Syncope pro calidae. Quidam faciunt differentiam inter caldum et calidum, dicentes, calidum sponte, nullo extrinsecus calorem suggerente, ut ignis et spiritus noster, qui corpus animat. Caldum vero aliunde.

V. 285. Species diversa. Versus hypermeter.

V. 293. Prorogat, extendit.

V. 297. Erythraeo, rubro. Gurgite. Tapinosis.

V. 298. Lemnius. Vulcanus. Homerus, auctore Servio in VIII. Aeneid.,[20]) dicit, Vulcanum de aere praecipitatum in terras, quod omne fulmen in aere cadit. Quod quia crebro in Lemnum insulam iacitur, ideo in eam dicitur cecidisse Vulcanus.

V. 299. Aetnae, montis Siciliae, de quo Virgilius III. Aeneid.[21]) sic: „Ipse sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis, Interdumque atram prorumpit ad aethera nubem Turbine fumantem piceo et candente favilla, Attollitque globos flammarum et sidera lambit.“

V. 301. Pulei. Synaeresis est, et sic Pulei fit dissyllabum.

V. 308. O magni. Considera, lector, hic divinam providentiam.

---

20. V. 416. — 21. V. 570.

V. 319. Canimus, metrice eloquimur; canere enim est poëtarum.

V. 321. Pulei. Iterum Synaeresis, ita enim Maro in Eclogis: [22]) «Furtumque Promethei.»

V. 324. Thalia, una ex novem Musis.

V. 325. Portus. absolvere et finire carmen hoc.

V. 343. Mole, difficultate. Virgilius: [23]) „Tantae molis erat.“ –

V. 364. Si quae. Metonymia. chalybs, gladius.

V. 392. Indupediret. Impediret, sed ratione versus dixit. Sic nuper metri gratia coactus sum scribere Induperator pro Imperator, [24]) pro imagine imperatoris Turcarum. Epigramma quod scripsimus, sic habet:

„Hic est Turcarum faedissimus induperator,
Christicolas misere qui ferit ense ferox.
Hanc procul a nobis pestem saevique tyranni
Romphaeam [25]) princeps arceat omnipotens.“

V. 395. Pactoli, fluvii Lydiae, a Tmolo Ciliciae monte orientis. Virgilius X Aeneidos: [26]) „Exercentque viri Pactolusque irrigat auro“ et Juvenalis: [27])

„Quod Tagus et rutila Pactolus volvit arena“

Et apud omnes o producitur.

---

22. Eclog. VI. 42. — 23. Aeneid. I. 37. — 24. Quod usurpavit iam Lucretius Rer. natur. IV. 964. Et Palingenius in Zodiaci Virgine: „Consul et Induperator.“ — 25. Rhomphaea apud Isidor. Origin. XVIII. VI. est gladius anceps. — 26. V. 142. — 27. Satyr. XIV. 299.

V. 396. Tyrio. Purpura, quae in Phoenicia, cuius Tyrus urbs est, praeclarissima reperitur.

V. 419. O Mater! Mariam Virginem accipe.

V. 430. Strabo tuus. Hic vocat se Strabonem; Strabus enim hoc loco stare non posset.

ANALECTA

AD

ANTIQUITATES

FLORAE GERMANICAE.

I. Germaniae antiquissimae Flora Pliniana.

II. Plantae aevi medii medicae et magicae.

III. Caroli Magni Capitulare de villis.

IV. Pulvis ad Febres e Cod. MS. saeculi IX. excerptus.

V. Plantae S. Hildegardis.

VI. Plantae Alberti Magni.

VII. Stirpes Saeculis XV, XVI in Germaniam adlatae.

GERMANIAE ANTIQUISSIMAE

FLORA PLINIANA.

Quicunque de Germaniae veteris natura scripsere auctores Romanorum, terram nostram olim asperam fuisse et penitus incultam, ad unum omnes consentiunt. [1]) Solum sterile, [2]) magna ex parte silvis invium, [3]) paludibus faedum, multisque fluminibus impeditum. Fertilissima loca erant circa silvam Herciniam, [4]) laeta pabulis pratisque. [5]) Agriculturae Germani antiquitus non studebant; [6]) civitatibus singulis maxima laus erat, quam latissimas circum se vastatis finibus solitudines

---

1) Tacitus, German. II. „Quis Germaniam peteret, informem terris, asperam caelo, tristem cultu adspectuque?" Solinus, Polyhist. c. XXXII. Strabo, Geograph. L. VII. 1. Seneca, natural. quaestion. III. 6. IV. 1. Diodor. Sicul. Histor. V. 25. — 2. Pomp. Mela, S. O. III. 3. — 3. Plinius H. N. XVI. I. „Silvae totam Germaniam implent, adduntque frigori umbras: altissimae tamen haud procul Cauchis circa duos praecipue lacus litora ipsa obtinent Quercus, maxima aviditate nascendi; suffossaeque fluctibus, aut propulsae flatibus, vastas complexu radicum insulas secum auferunt." — 4. Caesar, Bell. Gall. VI. 24. Plinius, IV. 14. Mela et Solinus l. c. — 5. Plinius XVII. 4 nam quid laudatius Germaniae pabulis cet. — 6, Caesar, B. G. VI. 22. — Tacitus, German. XXVI. „neque enim cum ubertate soli labore contendunt, ut pomaria conserant et prata rigent et hortos sepiant."

habere. E vicina tandem Gallia et Romanorum ad Rhenum Danubiumque coloniis frugum frumentorumque cultura in Germaniam translata est. [7])

Stirpes, quas aetate Plinii, XXIII — LXXIX. p. Chr. n., in patria nostra vel sponte nascentes vel in agris cultas scimus, magna iam eo tempore tam Florae quam Agriculturae incrementa indicant. Quarum, quas sparsas in amplissimo suo de Historia naturali opere tradidit auctor ille, sunt sequentes:

I. Quercus Robur L.

Arborum silvestrium regina, cuius in umbra arae institutae, sacrificia choreaequae agitata, [8]) plurima nascens regionibus, quas secans interluit Mogus. Plin. Hist. nat. XVI. 2. „In eadem septentrionali plaga Herciniae silvae Roborum vastitas intacta aevis et congenita mundo, prope immortali sorte miraculo excedit. Ut alia omittantur fide caritura, constat, attolli colles occursantium inter se radicum repercussu: aut ubi secuta tellus non sit, arcus ad ramos usque et ipsos inter se rixantes curvari portarum patentium modo, ut turmas equitum transmittant.“ — Cf. H. N. XVII. 20 — H. N. XVI. 40 „Praedones Germaniae

---

7. Tacitus Germ. XXIII. — Cf. Barth, Teutschlands Urgeschichte, II. 253. — Anton, Geschichte der teutschen Landwirthschaft. I. 5. — 8) Virgil. Georg. II. 16. Vitruv. Pollion. architect. VII. Sprengel Antiquitat. botanic. Cap. III. De Quercubus Veterum. — Olaus Magnus, gent. septentrional. histor. L. II. 5. — Schmink, de cultu religioso arboris Jovis. Lipsiae 1740.

singulis quercubus cavatis navigant, quarum quaedam et triginta homines ferunt.“ —

II. Alnus glutinosa L.

Magna habita in religione, Veterum lingua dicta Ellenum, Ellern (Ellenblot [9]). Hist. nat. XVI. 26. Keyssler Antiquitat. septentrional. pag. 70. — Torgillus Arnkiel de religione ethica Cimbrorum I. 30.

III. Betula alba L.

Hist. nat. XVI. 18. „Gaudet frigidis Betulla. Gallica haec arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis magistratuum virgis. Eadem circulis flexibilis, item corbium sportis. Bitumen ex ea Galliae excoquunt. In eosdem situs comitatur et Spina (Prunus spinosa L.?) nuptiarum facibus auspicatissima.“

IV. Acer Pseudoplatanus et campestre L.

H. N. XII. I. Platanus haec est et iam ad Morinos usque pervecta, ad tributarium etiam pertinens solum, ut gentes vectigal et pro umbra pendant“ H. N. XVI. 15. „Acer album, quod pracipui candoris, vocatur Gallicum: alterum genus crispo macularum discursu, qui cum excellentior fuit, a similitudine caudae pavonum nomen accepit, in Istria Rhaetiaque praecipuum.“ —

---

9) Isidorus, Origin. XVII. 7. Du Cange Glossar. I. 160.

V. Pinus Larix L.

H. N. XVI. 39, 40. „Tiberius Caesar concremato ponte naumachiario, Larices ad restituendum caedi ex Rhaetia praefinivit. — Amplissima arborum ad hoc aevi existimatur Romae visa, quam propter miraculum Tiberius Caesar ex eodem ponte naumachiario exposuerat advectam cum reliqua materie: duravitque ad Neronis principis amphitheatrum. Fuit autem trabs e Larice longa pedes CXX. bipedali crassitudine aequalis. Quo intelligebatur vix credibilis reliqua altitudo fastigium ad cacumen aestimantibus.“ —

VI. Pinus Abies et silvestris L.

H. N. XVI. 39. „Est per gentium quoque regiones in abietibus differentia. Alpibus Apenninoque laudatissimae, in Gallia Jura ac monte Vogeso.“ Cf. L. XVI. 10.

VII. Staphylea pinnata L.

Hist. nat. XVI. 16. „Est et trans Alpes arbor simillima aceri albo materia, quae vocatur Staphylodendron. Fert siliquas et in iis nucleos sapore nucis avellanae.“ —

VIII. Cytisus Laburnum L.

H. N. XVI. 18. „Aquas odit Laburnum. Alpina haec arbor nec vulgo nota, dura ac candida materie, cuius florem cubitalem longitudine apes non attingunt.“ —

IX. Prunus Cerasus et Avium L.

Hist. nat. XV. 25. „Cerasos ad urbis annum DCLXXX. L. Lucullus primum vexit e Ponto, annisque CXX. trans Oceanum in Britanniam usque pervenere. In ripis etiam Rheni sunt. Tertius iis colos e nigro ac rubenti viridique similis maturescentibus semper.“ —

X. Linum usitatissimum L.

Tacitus German. Cap. XVII. „Feminae saepius lineis amictibus utuntur eosque purpura variant „Plin. H. N. XIX. 3. Linum seritur sabulosis. Vere satum aestate vellitur — Cadurci, Caleti, Ruteni, Bituriges, ultimique hominum existimati Morini, imo vero Galliae universae vela texunt. Jam quidem et transrhenani hostes, nec pulchriorem aliam vestem eorum feminae novere. In Germania defossi atque sub terra id opus agunt.“ —

XI. Vicia Faba L.

Hist. nat XVIII. 12. „Faba nascitur et sua sponte plerisque in locis, sicut septentrionalis Oceani insulis, quas ob id nostri Fabarias appellant.“ Cf. L. IV. 13. Inde a promontorio Cimbrorum insulae Romanorum armis cognitae. Earum nobilissima Burchana, Fabaria a nostris dicta, a frugis similitudine sponte provenientis.“ —

XII. Vitis vinifera L.

Hist. natur. XIV. 21. „Vinum circa Alpes ligneis vasis conditur, quos circulis cingunt, et hieme gelida

ignibus rigorem arcent. Mirum dictu, sed aliquando visum, ruptis vasis stetere glaciatae moles, prodigii modo, quoniam vini natura non gelascit alias ad frigus stupens tantum" — Flavius Vopiscus in vita Probi: „Gallis omnibus ac Britannis permisit[10], ut vites haberent, vinumque conficerent." Cf. Eutrop. Hist. Rom. IX. 11. —

XIII. Rumex aquaticus L.

Histor. natur. XXV. III „In Germania trans Rhenum castris a Germanico Caesare promotis, maritimo tractu fons erat aquae, dulcis solus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus solverentur. Stomacacen medici vocabant et sceletyrben ea mala. Reperta auxilio est herba quae vocatur Britannica, non nervis modo et oris malis salutaris, sed contra anginas quoque et serpentes. Folia habet oblonga nigra, radicem nigram. Succus eius exprimitur et ex radice. Florem vibones vocant; qui collectus priusquam tonitrua audiantur, et devoratus, securos in totum reddit. Frisii, qua castra erant, nostris demonstravere illam, mirorque nominis causam, nisi forte confines Oceano Britanniæ velut propinquæ dicavere." — Idem Hist. nat. XXVII. I „parte alia Britannicam ex Oceani insulis extra terras positis portatam esse." — Herbæ nomen ab uliginibus bretanicis,

---

10) circa annum CCLXXX p. Chr. n. — In Franconia vites primum plantatae sunt anno CCCCLVIII, ut habet Zur Westen in Dissert. de montibus Franconiae vitiferis. Wirceburgi 1728. 4.

haud procul Amisia flumine, Lingam inter, Weddam et Coevordam, derivat J. Lipsius Not. ad Annal. Taciti L. I. 63. De Britannica exstant dissertationes duæ philologico-medicæ, quarum altera inscribitur: „De Brittenburgo et Britannica herba" excusa Hagæ Comitum 1734. 4, auctore H. Cannegieter. Altera est opus A. Munting, „de vera Britannica." Amstelodami 1698. 4. —

XIV. Centaurea montana L.

Hist. nat. XXV. VI. „Centaureae folia sunt lata et oblonga, serrato ambitu, densa ab radice, caules ternum cubitorum, geniculati. In his capita ceu papaverum. Radix vasta, rubescens, tenera fragilisque, ad bina cubita, madida succo, amara cum quadam dulcedine. Nascitur in collibus pingui solo, laudatissima in Alpibus, plurimisque aliis locis. Vis in vulneribus tanta, ut cohaerescere etiam carnes tradant, si coquantur simul. In usu radix tantum." —

XV. Erythræa Centaurium L.

Plin. H. N. XXV. VI. „Est alterum Centaurion cognomine lepton, minutis foliis, origano simile, angustioribus et longioribus foliis, anguloso caule paululum alto fruticanti, flore lychnidis, radice tenui et supervacua, succo efficax. Hoc centaurion nostri fel terræ vocant propter amaritudinem summam; Galli Exacon, quoniam omnia mala medicamenta potum e cor-

pore exigat per alvum.“ [11]) Cf. Billerbeck Flora classica pag. 51.

XVI. Thymus Serpyllum L.

H. N. XVI. 32. „Casia seritur etiam in septentrionali plaga — extremoque in margine imperii qua Rhenus alluit, vivit in alveariis apum sata. Color abest ille torridus sole et ob id simul idem odor.“ —

XVII. Valeriana officinalis L.

Hist. nat. XII. 12. XIV. 16. XXI. 20. „Gallicum nardum cum radice vellitur abluiturque vino. Cum eo semper herba nascitur quæ vocatur Hirculus a gravitate odoris et similitudine quæ maxime adulteratur — succurrit adversus serpentes duabus drachmis in vino — E nardo gallico et celtico vinum paratur.“

XVIII. Saliunca — Valeriana forsan Saliunca? —

Hist. nat. XXI. 7 et 20. „Saliunca foliosa quidem est, sed brevis et quæ necti non possit. Radici numeroso cohæret, herba verius quam flos, densa

---

11) Aevi medii scriptoribus adpellata vulgo Febrifugia, Erdgal, Aurine. Megenberg, Buch der Natur, (Augsburg 1478. Fol.) habet: „Centaurea, Erdgal, Fieberkraut, ist zweierlei, eine heisst die kleine Erdgal, und hat bleter als die Rauten, die ist gar bitter. und hat eine rot liecht blumen.“ V. Ledelii Diss. Centaurium minus auro tamen maius. Francf. 1694. 8.

veluti manu pressa, breviterque cespes sui generis. Pannonia hanc gignit et Norici Alpiumque aprica, urbium Eporredia: tantæ suavitatis ut metallum esse cœperit. Vestibus interponi gratissimum — Saliuncæ radix in vino decocta sistit vomitiones et corroborat stomachum.“ —

XIX. Arundo Phragmites L.

H. N. XVI. 36. „Calamus, ubi limosiore callo induruit, sicut in Belgis, contusa et interiecta navium commissuris ferruminat textus glutine tenacior rimisque explendis fidelior pice. — Nullus sagittis aptior est calamus, quam in Rheno Bononiensi amne, cui plurima inest medulla pondusque volucre. Quippe non eadem gratia Belgicis.“ —

XX. Conferva fluviatilis, gelatinosa L.

H. N. XXVII. 8. „Peculiaris est alpinis maxime fluminibus Conferva appellata a conferruminando: spongia aquarum dulcium verius quam muscus aut herba, villosæ densitatis atque fistulosæ. Curatum ex ea scio omnibus fere ossibus confractis prolapsum ex arbore alta putatorem circundata universo corpori, aquam suam inspergentibus quoties inaresceret, raroque nec nisi deficientem herbam mutationis causa resolventibus, convaluisse vix credibili celeritate.“

XXI. Raphanus sativus L.

Hist. nat. XIX. V. Raphanus frigore adeo gaudet, ut in Germania infantium puerorum magnitudinem æquet."

XXII. Sium Sisarum L.

Hist. nat. XIX. V. „Inter medica dicendum Siser, et ipsum Tiberius princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis a Germania. Gelduba appellatur castellum Rheno impositum, ubi generositas præcipua. Ex quo apparet frigidis locis convenire. Inest longitudine nervus, qui decoctis extrahitur amaritudinis tamen magna parte relicta, quæ mulso in cibis temperata etiam in gratiam vertitur. Nervus idem et pastinacæ duntaxat anniculæ."

XXIII. Daucus Carota L.

H. N. XIX. V. „Est et quartum genus in eadem similitudine Pastinacæ, quam nostri Gallicam vocant, Græci Daucon: cuius genera etiam quatuor fecere."

XXIV. Asparagus officinalis et silvestris L.

H. N. XXI. 15. Asparagus gallicus. XIX. 8. „Est et aliud genus incultius asparago mitius corruda, passim etiam montibus nascens refertis superioris Germaniæ campis, non infaceto Tiberii Cæsaris dicto, herbam ibi quandam nasci simillimam asparago." —

XXV. Isatis tinctoria L.

H. N. XXII. „Simile plantagini Glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges nurusque toto

corpore oblitæ quibusdam in sacris et nudæ incedunt, Aethiopum colorem imitantes." Cæsar, de bello Gallico L. V. 14 „Omnes vero se Britanni glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc horribiliore sunt in pugna adspectu." Cf. H. Crolachii Gothani, de Isatidis herbæ, quam Guadum vocant, cultura naratio. Tiguri 1555. 8. Petri Victorii var. lection. L. XIX. III.

XXVI. Vaccinium Myrtillus L.

Hist. nat. XVI. 18. „Vacinia, Italiæ in aucupiis sata, Galliæ vero etiam purpurea, tingendi causa ad servitiorum vestes."

XXVII. Vaccinium Oxycoccos L.

H. N. XXIV. 11. „Druidæ Samolum herbam nominavere nascentem in humidis, et hanc sinistra manu legi a ieiunis contra morbos suum boumque, nec respicere legentem nec alibi quam in canali deponere, ibique conterere poturis." Cf. Billerbeck, pag. 100.

XXVIII. Saponaria officinalis L. 12)

Ex huius plantæ cineribus paratus est nobilis ille Germanorum sapo, rutilandis capillis aptus, quem ma-

---

12) Vincent. Belvacens. Specul. nat. L. X. C. 153. (Venet. 1591. f.) „Strucio, quam quidem herbam Lanariam vocant, eo, quod plerique lanam ex eo lavent, nascitur locis incultis." — Ortus Sanitatis (1517 s. l. f.) Cap. 405, de herbis: „Saponaria, Borith, herba fullonum, de qua parunculos faciunt, quas herbaticos vocant et siccant eos et pro Sapone utuntur." — J. M. Langii Dissert. de herba Borith. Altorf. 1705. 4. J. F. Cartheuser de Saponariae radice: Frcoft. 1760. 4.

tronæ Romanæ quoque plurimi æstimavere. Cf. Hist. nat. XXVIII. 12. „Sapo, Gallorum hoc inventum rutilandis capillis, ex sevo et cinere, optimus fagino et caprino, duobus modis, spissus ac liquidus, uterque apud Germanos maiore in usu viris quam feminis.“ Ovid. Amor. I. XIV. 40. Martial. Epigr. VIII. 33. 19.

XXIX. Lycopodium Selago L.

Hist nat. XXIV. 11. „Similis herbæ huic Sabinæ est selago appellata. Legitur sine ferro dextra manu per tunicam, qua sinistra exuitur velut a furante, candida veste vestito, pureque lotis nudis pedibus, sacro facto prius quam legatur, pane vinoque. Fertur in mappa nova. Hanc contra omnem perniciem habendam prodidere Druidæ Gallorum et contra omnia oculorum vitia fumum eius prodesse.“ —

XXX. Loranthus europaeus et Viscum album L.

H. N. XVII. 44. „Nil habent Druidæ Visco [13]) et arbore in qua nascatur, si modo sit Robur, sacratius. Jam per se roborum eligunt lucos nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione græca possint Druidæ videri. Enimvero quicquid adnascatur illis, e cælo missum putant, signumque esse electæ ab ipso Deo arboris. Est autem id rarum admodum inventu et repertum magna religione

---

13) Virgil. Aeneid. VI. 205. Varro R. R. III. 8.

petitur et ante omnia sexta luna, quæ principia mensium annorumque his facit, et sæculi post tricesimum annum quia iam virium abunde habeat, nec sit sui dimidia. Omnia sanantem [14]) appellantes suo vocabulo, sarificio epulisque rite sub arbore præparatis, duos admovent candidi coloris tauros, quorum cornua tunc primum vinciantur. Sacerdos candida veste cultus arborem scandit, falce aurea demetit, candido id excipitur sago. Tunc demum victimas immolant, precantes ut suum donum Deus prosperum faciat his quibus dederit. Fæcunditatem eo poto dari cuicunque animali sterili arbitrantur, contraque venena omnia esse remedio.“ [15]) Cf. J. Keyssler Antiquitates septentrionales et celticæ. pag. 304. Cluveri German. antiq. Cap. XXIV.

XXXI. Taxus baccata L.

Cæsar Bell. gallic. VI. 30. „Cativulcus rex Taxo, cuius magna in Gallia Germaniaque copia est, se exanimavit.“ Plin. H. N. XVI. 10. „E Taxo vasa viatoria vinis in Gallia facta mortifera fuisse repertum est.“ — Cf. Nocca illustr. plant. in Julii Caesaris Coment. Ticin. 1812.

XXXII. Buxus sempervirens L.

Hist. nat. XVI. 16. „Buxi genus Gallicum, quod in metas emittitur amplitudinemque proceriorem.“

---

14. Guthyl. — 15. Cf. J. G. Frickii Comment. de Druidis. Ulmae 1744. 4. — Eyringii veterum instituta Druidum. 1698. 4.

XXXIII. Frumentorum genera ea ætate sata erant: Secale cereale [16]) L., Triticum æstivum [17]) et hibernum, Hordeum vulgare [18]) et Panicum miliaceum [19]) Cf. Hist. nát. XVIII. 30.

16. Hist. nat. XVIII. 16. „Secale Taurini sub Alpibus Asiam vocant cet. — 17. H. N. XVIII. 8. — 18. H. N. XVIII. 7. 8. — 19. H. N. XVIII. 10. Strabo Geogr. IV. 5. —

PLANTAE
AEVI MEDII MEDICAE ET MAGICAE.

Quicquid de salubribus herbarum patriæ nostræ virtutibus expertum habemus, Coenobitarum ævi medii studiis debemus. [1]) Nam a sæculo inde VII usque ad XIV Monachi Medicinam exercere soliti, indagare studebant vires herbarum, quas vel ex agris in hortos translatas alebant, vel ab advenis aliunde acceperant. Quibus tum imposuere nomina, vel pro singulari earum natura et virtute, vel pro Sanctorum reverentia; unde versus breves memoriales, qui sparsi leguntur in Codicibus et libris veteribus, [2]) et singularis nata plantarum denominatio, cuius meminit Joannes Bauhinus in Capite de plantis a Divis Sanctisque nomen habentibus.

---

1. Sprengel, Geschichte der Botanik I. 198. Idem, Geschichte der Arzneikunde II. 473. Hegewisch, deutsche Kulturgeschichte. Hamburg 1788. 8. pag. 30. sq. — Magni in cognoscenda Germaniae Saeculo XIII. Flora momenti est liber „Henrik Harpestrengs Danske Laegebog fra det trettende Aarhundrede," editus 1826 a Chr. Molbech e Codice MS. Bibl. Reg. Hafniensis. — 2. V. g. Dicit Borago gaudia semper ago — Esula lactescit, sine lacte Linaria crescit. — Faetet amaristus, redolet similis Chamomilla — Iris purpureum florem gerit, Ireos album, Gladiolus croceum. sed spathula faetida nullum — Pimpinella pilos, Saxifraga non gerit ullos — Sambucus est Actis, sed Ebulus est Chamaeactis etc. —

V. C. Gesneri Epistolæ. Basil. 1591. 8. — Huiusmodi nomina sunt:

Herba S. Kunigundis [3], S. Gerardi [4], S. Quirini [5], S. Jacobi [6], S. Pauli [7], Lancea Christi [8], Oculus Christi [9], Radix S. Spiritus [10] etc.

vel:

Herba Sanguisorba [11], Urinaria [12], Ocularia [13] Rheumatica [14], Gratiosa [15], Potentilla [16], Valentina [17], Sanicula [18], Ulceraria [19], Centummorbia [20], Asperula [21], Rubia [22], Pervinca [23], Herniaria [24], Aquilina [25], Cruciata [26], Convolvulus [27] etc.

Sed et avitæ maiorum superstitioni multum indulsisse cernimus ætate hac Germaniæ, septentrionalis præsertim, incolas, multumque arti magicæ philtrisque

---

3. Eupatorium cannabinum L. — 4. Aegopodium Podagraria L. — 5. Tussilago Farfara. — 6. Senecio Jacobaeus. — 7. Primula Veris L. (herba Paralysis s. arthritica.) — 8. Ophioglossum vulgatum. — 9. Myosotis scorpioides. — 10. Angelica Archangelica. — 11. Poterium Sanguisorba L. Fuchsius hist. stirp. 303 „nomen traxit, quod in sistendo sanguine, undecunque emanarit, mira huic admodum insit efficacia; adeo, ut hunc ipsum quasi absorbere videatur." — 12. Ononis spinosa. — 13. Euphrasia officinalis V. Bock 123. — 14. Geranium pratense. — 15. Gratiola officinalis. — 16, 17. Valeriana officinalis. — 18. Sanicula europaea. — 19. Ballota nigra. — 20. Lysimachia nummularia, Fuchs. 101. „a chirurgis, qui illa quotidie utuntur, a mirifica sua in vulneribus medendis facultate adpellata." — 21. Equisetum arvense. — 22. Rubia tinctorum, Du Cange II. 706. „Rufus herba inficiendis rubro colore vestibus. Ros, quo utuntur Gothi, fit de herba, quae vulgo Rufus vocatur, et erescit in terra Gothorum." — 23. Vinca maior et minor. V. Bock 147. — 24. Herniaria glabra (herba millegrania, canceri). — 25. Aquilegia vulgaris. — 26. Gentiana cruciata. Fuchs 158. „Dicitur, quod eius radix in modum crucis transfossa sit." — 27. Convolvulus sepium, Wedewinde.

parandis tribuisse studium. Nomina quædam magica servavit Eckhartus in Comment. Rer. Franc. orient. I. 436 e Glossario Rabani Mauri, scilicet: Wisunt [28]), Petenstro [29]), Feugera [30]) s. Feugia, Gauchhyl [31]). — Notiores ætatis huius herbæ medicæ sunt:

I. Atropa Mandragora L.

Vetustissima inventu [32]) Mandragora maxima auctoritate gaudebat inter magicas Germanorum herbas. Formabantur e crassa et carnosa eius radice figuræ corpori humano simillimæ, Alrunarum nomine notæ; quæ cum in sacris Veterum et lustrationibus veneratae, tum quasi praesidium et tutela a morbis adhibitæ, Penatum instar colebantur [33]). Alrunæ istæ, in utriusque sexus figuram efformatæ [34]), plurimi interdum vendebantur. Mandragora verō, quum progressu temporis multis variisque Rhizotomorum insidiis undique e silvarum latebris evulsa et exstirpata esset, — ita quidem, ut nostra ætate vix una reperiatur sponte crescens, — Alrunæ radicibus Filicis maris, Arundinis et

---

28. Thymus Serpyllum. — 29. Gallium verum (stratum lecti B. Mariae V.) — 30. Filix mas, cuius radix Manus S. Joannis dicta. Du Cange II. 470. — 31. Anagallis phaenicea, in vestibuli limine suspensa maleficorum introitum pellere credita. — 32. *Μῆλα Μανδραγορου.* LXX. דּוּדָאִים Genes. XXX. 14. Celsius Hierobotan. I. 2. Gesenius Lexic. I. 185. M. Liebentanz de Rahelis deliciis Dudaim Exercit. Wittenberg. 1678. 4. — *Ανθρωπόμορφος*, Theophrast. Hist. plantar VI. 2. IX. 20. Semihomo Columellae Hort. Cult. v. 19. *Βααρας* Josephi Bell. iudaic. L. VII. 25. A. Deusingii de pomis Mandragorae Dissert. Gröningae 1659. 12. — 33. Roth, de imagunculis Germanorum magicis. quas Alrunas vocant. Helmstad. 1737. Keyssler, antiquit. septentrion. pag. 504. Eckhart Comment. rer. Franc. I. 407. — 34. Bartholom, Anglic. propriet. rerum. L. XVII. 103.

Bryoniæ adulteratæ sunt. Cf. Matthiolus in Commentario ad Dioscorid. L. IV c. 71. „Sed profecto vanum et fabulosum est, quod Mandragoræ radices ferant, quæ humanam effigiem repraesentent, ut ignarum vulgus et simplices mulierculae credunt et adfirmant. Quibus etiam persuasum est, eas effodi haudquaquam posse, nisi cum magno vitae periculo, cane, qui effodiat, radicibus adligato et auribus pice obturatis, ne radicis clamorem audiant effodientes, quod audita voce periclitentur pereantque fossores. — Quippe radices illae, quae humanam formam referunt, quas impostores ac nebulones quidam venales circumferunt, infaecundas mulieres decepturi, factitiae sunt ex harundinum, bryoniae aliarumque plantarum radicibus. Sculpunt enim in his adhuc viventibus tam virorum, quam mulierum formas, infixis hordei et milii granis iis in locis ubi pilos exoriri volunt, deinde facta scrobe tamdiu tenui sabulo obruunt, quousque grana illa radices emittant, id quod fiet viginti ad summum dierum spatio. Eruunt eas demum et adnatas e granis radices acutissimo cultello scindunt, aptantque ita, ut capillos, barbam et cæteros corporis pilos referant. Romae cum essem, impostorem quendam vidi circumforaneum, adserentem, unam tantum Mandragoram interdum divitibus vendidisse viginti quinque vel triginta aureis.“ — Plura de Mandragora habent Ortus Sanitatis Cap. 276, de herb. — Petrus de Crescentiis, opus rural. commod. (s. l. et a f.) pag. 93. Amatus Lusitanus in Dioscorid. Argentor. 1554. 4. pag. 427. — H. Bock

Kräuterbuch. pag. 329. Olaus Rudbeck Dissert. de Mandragora Uspal. 1702. 4. — Alrunam inter cimelia Bibliothecæ Augustissimæ Vindobonæ servatam describit Nessel in Commentario ad Catalog. Codd. MSS. Vindob. 1690. fol. „Mandragora vestita, cuius indusium vel camisia est ex subtilissima embryi humani pellicula, tunica ex panno holoserico nigro.“ — Factitia Alruna adservatur in Museo botanico Monachii. —

II. Acorus Calamus L.

Calamum quo aevi medii officinæ utebantur, e Tartaria et Asia minori adlatum, varietatis Acori Asiaticae radicem fuisse, constat inter omnes Rei herbariae patres [35]. Cur ille in paludibus sponte crescens nunquam in usum venerit, inde natum videtur, quod cum Iride Pseudacoro L., cui est simillimus, semper sit confusus [36]. Acorum Calamum vero antiquitus iam Germaniae indigenam, neque, ut quidam contendunt [37], ex Europa orientali in terras nostras translatum fuisse, certum est. V. J. Ruellius in comment. ad Dioscorid. (Lugduni 1552. 8.) pag. 9. „Merlus medicus, qui multo

---

35. Matthiol. Epist. III. 1. — Eiusdem Comment. in Dioscorid. I. 2. „Calamum aromaticum ad me misit clarissimus Caesaris Ferdinandi ad Turcarum imperatorem orator, Augerius de Busbeke, una cum ipso Quacelbeno, per seplasiarium quendam Fulginatem, cuius apotheca in Pera est, non procul a Nicomedia Bithyniae civitate a vastae magnitudinis lacu petitum.“ Car. Clusius rarior. stirp. per Hispanias observat. hist. pag. 520. — 36. Dorstenii Botanica. Frcfti. 1540. f. pag. 57. Bräuner. deutsches Kräuterbuch. Frcft. s. a. pag. 31. Bock Kräuterb. pag. 259. Otho Brunfels, herbar. II. 48. — 37. Sachs und Dulk Arzneimittellehre., Königsberg 1830. I. 644. — Nees von Esenbeck und Ebermaier medic. pharmac. Botanik. Düsseldorf. 1830. I. 106.

tempore medicinam apud Lipruschum Lithuaniae factitavit, Matthiolo constanter adseveravit, multam apud Lithuaniam Acorum nasci, suisque manibus e terra evulsisse omnibus deprehensis dotibus, quas in Acoro desiderat Dioscorides." — Boemus Aubanus, mor. gent. L. III. 6. „Russia versus Tanaim et Maeotim calamo aromatico abundat." —

III. Asarum europaeum L.

Cuius radix Emeticum media aetate usitatissimum, variis nominibus gaudet apud veteres auctores, ut Aseri, Aserinae, Vulgaginis, balbuginis, baccharis, baccarae, [38]) nardi silvestris et rusticae. Cf. Fulbertus Carnotens. Epist. 46. — Macer de vir. herbar. Cap. XLVI. „Est Asarum graece Vulgago dicta latine Helleborique modo vomitu praecordia purgat." —

IV. Chelidoniae.

Canit Macer capite LII. de virib. herbar. (edit. Choul.)

„Esse Chelidoniae species geminae referuntur
A medicis: species est maior prima vocata,
Altera vero minor; oculis medicatur utraque"

auctorem secutus Dioscoridem, qui *Χελιδόνιον μέγα* et *μικρὸν* habet Mater. med. L. II. cap. 176, 177. Rei

---

38. Cf. Billerbeck Flora classica pag. 116. Virgil. Eclog. VII. 27. „Baccare frondem Cingite. ne vati noceat mala lingua futuro." Haselworcz, Haselwort. Herbarius Patavinus 1485. 4. fol. XV. J. C. Scheffler Diss. de Asaro Altorf. 1721. 4.

herbariae patres duabus porro utuntur plantis, si habitum spectes, fere similibus, locis incultis ad muros et sepes aspero victu nascentibus, Chelidoniarum nomine notis. Quae sunt Chelidonium maius et Geranium Robertianum L.

Mira sunt, quae de Chelidonia maiore narrat Macer [39]) l. c.

„Caecatis pullis hac lumina mater hirundo
Plinius ut scribit, quamvis sint eruta, reddit.
Hanc nasci dicunt avibus venientibus illis,
Et desiccari, solito dum more recedunt,
Indeque nomen habet Chelidonia.“ —

Chelidonium maius, succo lacteo ex amaro-acri turgens herba, ideoque inter venena a quibusdam collocata, praestantissimum aevi medii auctoribus medicis habebatur remedium ad mala oculorum, Cataractam praecipue, nostraque aetate inmerito forsan negligitur. Laudantur huius vires potissimum H. Trago [40]), Theophilo Boneto [41]), et Gregorio Horstio [42]). Cfd. Sachs und Dulk Handwörterbuch d. prakt. Arzneimittellehre, Königsberg 1830. I. 827.

---

39. Ad mentem Plinii, histor. natur. XXV. XII. „Chelidonia hirundines oculis pullorum in nido restituunt visum, ut quidam volunt etiam erutis oculis.“ Cfd. Aristotel. de gener. animal. IV. VI. et Matthiol Comment in Dioscorid. L. II. c. 176. — 40. Kräuterbuch pag. 42. — 41. Polyalthes s. thesaur. medic. pract. Genev. 1694. fol. pag. 978. — 42. „Aqua et succus chelidoniae vel sola vel mixta cum aliis collyriis nubeculam, obscuritatem et omne, quod crassum est in pupilla, discutit.“ Herbar. in opp. omn. Noribg. 1640. fol.

In libris Monachorum Chelidonium vocatur Celidonia, Celidontia [43]); Herba hirundinaria, et germanice Schüllworcz, Schellwort, Scellinwurtz, Goldwort.

Chelidonia minor est Geranium nostrum Robertianum, apud auctores herbariorum Gratia Dei, Gotsgenad, herba S. Ruperti, herba rubea [44]) (ob caules auctumno suave rubentes) passim cognominatum. -- Quae in officinis servatur chelidonia minor, est Ranunculus Ficaria L. V. Matthiol. ad Dioscorid. l. c. —

V. Crocus sativus et vernus L.

Crocus sativus saeculo iam XIV ex Asia minori in Austriam translatus cultus est in agro Vindobonensi. Crocus vernus Germaniae innotuit anno MDLXXIX adlatus a Stephano ab Hausen cive Norinbergensi, qui eius anni initio Constantinopoli rediens in comitatu generosi viri Ulrici de Kunigsperg in Moesia superiore sub Belgrado florentem carpserat Martio mense. Cf. J. Hertodt, Crocologia sive curiosa Croci enucleatio. Jenae 1670. 8. Rozier, cours complet d'agriculture. à Paris 1781. 4. I. 266. – C. Heresbachii R. R. pag. 252.

VI. Angelica.

Angelica Archangelica L. saeculo XIV in

---

43. Inde natum Coeli donum, quo nomine auctores imperiti graecum verbum ignorantes, non raro herbam hanc explicant; falsaque ea falsi nominis praestantia freti Alchymistae ex hac herba quintam fieri praedicabant essentiam, vanis suis imaginationibus accommodissimam et ad profligendos morbos quoscunque utilissimam. — 44. Hildegardis Physica II. 159. — Otho Brunfels. Herbar. II. XI.

coenobiorum hortis vulgaris. Radix odoris eximii, virtutisque in Peste, ut credebatur, validissimae, huic nomen monstratae ab Angelis herbae comparavit. Pulvis radicis cum Ruta et Theriaca sanitatem restituit iis, qui Peste laborabant. Exterius imposita trita rabiosorum venenatorumque animalium morsus curare credita, ut habet Matthiolus in Dioscorid. IV. 814. Cf. Bock Kräuterbuch pag. 156. Saeculo XVI in Saxoniae agris satam, refert idem Matthiolus — Angelicam silvestrem L. sponte nasci in Pommerania, auctor est C. Gesnerus in hortis Germaniae.

VII. Scabiosae L.

Scabiosa succisa L. Herba praemorsa, succisa, Jacea nigra, morsus diaboli. Brunfels. Herbar. II. pag. 50. „Morsus diaboli dicitur, eo quod praemorsam inferne radicem gerit, quam a Cacodaemone fabulantur, extemplo ubi nasci coeperit vel fodi, praecerpi, ne in usum veniat vitae humanae." —

Scabiosa arvensis et Columbaria L. Herba scabiei, psorae, scabiosa, Apostemkraut, dicta, quod eius succus scabiem pellat. Brunfels II. pag. 25. Bock KB. pag. 94. De scabiosae viribus versiculi aliquot leguntur in Matthaei Silvatici Pandectis medicinae (Lugduni 1478 fol.) Cap. 631., in Herbario Moguntiae impresso (1484. 4.) fol. 139. et inde in Herbar Patav. fol. 139. „Dicitur, quod S. Urbanus Pontifex Maximus ad petitionem cuiusdam sororis suae anhelantis super herbae huius virtutes, quoniam ipse

utebatur continue, misit sibi super petitione infra scriptos versus:

Urbanus pro se nescit pretium Scabiosae,
Nam purgat pectus quod conprimit aegra senectus,
Lenit pulmonem, purgat laterum regionem,
Apostema frangit, si locum bibita tangit
Tribus uncta foris Anthracem liberat horis" [45]).

VIII. Carlina acaulis L.

Çarolo Magno, ut fert fama, ab Angelo monstrata praestantissimum remedium ad Pestem, indeque Carolina adpellata. V. Caesalpinus de plantis L. XIII. 38. —

IX. Glycyrrhiza glabra et echinata L.

Culturam Liquiritiae saeculi primum XI. initio in agro Bambergensi instituit S. Cunigundis imperatrix. Cf. Valer. Cordus hist. plant. II. 156. L. Fuchsius Histor stirp. LXX. Boemus Auban. mor. gent. L. III. XV. „Glycerhysa radix mellea in agro Babenbergensi tanta copia effoditur, ut ingentes currus ea onerari videas." —

X. Gith.

Quo nomine in veteribus libris habentur plantae duae inter segetes nascentes, Agrostemma scilicet

---

45. Eosdem versus refert Musa Brasavolus in examine simplicium medicamentorum, (Lugduni 1537. 8.) et in editione Scholae Salernitanae (Parisiis 1625. 8.) exponit R. Moreau.

Githago L. et Nigella arvensis L. — Prior et Zizania, Agricolatum, Brodwurtz, Feldkumel, vocatur. Cf. H. Braunschweig, Destillirbuch (Frcft. 1533. 4.) pag. 100. — L. Ortollf von Bayrlandt Artzneipuch, Nürnberg 1477. fol. Cap. 116. Fuchsius, hist. stirp. 44. — Altera Melanthium, Nigellastrum dicitur. — Utraque patriae nostrae antiquitus ignota et primae demum agrorum culturae aetate inter frumentorum semina aliunde esse advecta videtur. —

XI. Hypericum perforatum L.

Hypericum, quasi *φυτον ὑπερ εἰκονας*, Dioscorid. L. III. 146., perforata, fuga daemonum, herba S. Joannis [46]), Bock KB. 30. magnae auctoritatis erat in re magica, et una cum Eryngio campestri, et Stachyde recta L. ad famosa illa Veterum Philtra adhibebatur. Cf. G. a Reies iucundarum qnaestion. campus Elysius, quaest. XXIX et XCVII, E. Gockelius, Polyhistor. mag. med. curios. — Sim. Maiolus colloquior. II. 215.

XII. Agrimonia Eupatorium L.

Agrimonia, Denicleta, Ferraria minor, ob insignes in variis morborum generibus virtutes vocata est Heil aller Welt. Bock KB. 190.

---

46. Theophr. Paracelsus in virtut. herbar. V. (opp. edid. Huserus Argentor. 1603. f. I. 1038.)

XIII. Botrychium Lunaria.

Lunaria, sicut Drosera Ros solis L. [47]) eximiae virtutis esse credita est ab Alchymistis. Cf. L. Fuchs. hist. stirp. 182. Walburgiskraut. —

---

47) C. Gesneri de raris et admirandis herbis quae, quod noctu luceant, Lunariae nominantur. Hafniae 1669. 8. pag. 67.

CAROLI MAGNI

CAPITULARE DE VILLIS,

conditum anno DCCCXII. Cf. Steph. Baluzii Capitul. Regum Francor. Venet. 1772. fol. pag. 237., Eckharti Comment. de Rebus Franciae oriental. Wirceb. 1729. fol. pag. 917. Tom. II., Halleri Biblioth. Botan. pag. 214., Sprengel, Geschichte der Botanik I. 194. Anton, Geschichte der deutschen Landwirthschaft, Görlitz 1799. I. 175. —

§. LXX.

Volumus, quod in Horto omnes herbas habeant, id est:

Lilium [1], Rosas [2], Foenigraecum [3], Costum [4], Salviam [5], Rutam [6], Abrotanum [7], Cucumeres [8],

---

Capitularia primus edidit Hermannus Conringius in calce epistolarum Leonis III. e veteribus membranis academiae Helmstadiensis. V. Bruns, Beiträge zu den deutschen Rechten des Mittelalters, Helmstädt 1799. — Hegewisch, Uebersicht der deutschen Kulturgeschichte, pag. 33.

1. Lilium candidum L. — 2. Rosa centifolia. — 3. Trigonella Foenum graecum, cui synonyma addit Cod. Helmstad. Trifolium citrinum, Melilotum. — 4. Balsamita vulgaris, V. Gesner. Hort. German. — 5. Salvia officinalis. — 6. Ruta graveolens. — 7. Artemisia Abrotanum. — 8. Cucumis sativa.

Pepones [9], Cucurbitas [10], Faseolum [11], Cuminum [12], Rosmarinum [13], Carvum [14], Cicerum [15] italicum, Squillam [16], Gladiolum [17], Dragontea [18], Anisum [19], Coloquintidas [20], Solsequium [21], Ameum [22], Silum [23], Lactucas [24], Gith [25], Erucam [26] albam, Nasturtium [27], Bardanam [28], Pulegium [29], Olisatum [30], Petroselinum [31], Apium [32], Levisticum [33], Sabinam [34], Anethum [35], Foeniculum [36], Intubas [37], Diptamnum [38], Sinapi [39], Satureiam [40], Sisymbrium [41], Mentham [42], Menthastrum [43], Tanaritam [44], Nepetam [45], Febrifugiam [46], Papaver [47], Betas [48], Vulgigina [49], Bismalvas [50] id

---

9. Cucumis Melo. — 10. Cucurbita lagenaria. — 11. Phaseolus vulgaris V. Billerbeck, Flora classica pag. 184. — 12. Cuminum Cyminum. — 13. Rosmarinus officinalis. — 14. Carum Carvi. — 15. Cicer arietinum. — 16. Scilla maritima. — 17. Gladiolus communis sive Iris germanica L. — 18. Aaron Drucunculus s. Dracontium. — 19. Pimpinella Anisum. — 20. Cucumis Colocynthis. — 21. Cichoreum Intybus, in Codd. passim Solsequus; Sponsa Solis, gira Solis, dionysia, Sunnewirbila, Hintloph, Wegweifs. V. Maioli dies canicular. II. 279. Colon. 1608. — 22. Ammi maius? (Sprengel) In Herbar. Patav. Ameus est Tanacetum vulgare L. — 23. Sium angustifolium? (Spreng.) — 24. Lactuca sativa. Billerbeck pag. 203. — 25. Nigella sativa. — 26. Brassica Eruca. Gesner. hort. German. — 27. Sisymbrium Nasturtium. — 28. Dipsacus Fullonum? Rumex acutus (Parduna) Sprengel. — 29. Mentha Pulegium. — 30. Smyrnium olus utrum. Dierbach Flora Apiciana pag. 28. — 31. Apium Petroselinum. — 32. Apium graveolens. 33. Ligusticum Levisticum. — 34. Juniperus Sabina. — 35. Anethum graveolens. — 36. Anethum Foeniculum. — 37. Cichoreum Endivia. — 38. Dictamnus albus. — 39. Sinapis alba. — 40. Satureia hortensis. — 41. Lepidium sativum. — 42. Mentha cripsa. — 43. Mentha silvestris. — 44. Tanacetum crispum — 45. Nepeta Cataria. — 46. Erythraea Centaurium. — 47. Papaver somniferum. 48. Beta vulgaris. — 49. Asarum europaeum. — 50. Mismalvas legit Bruns. Althaea officinalis. Du Cange Glossar. I. 627. Ibischa,Gimauve. V. Bock's Kräuterbuch pag. 158. Malvaviscus.

est Althaeas, Malvas [51], Carrucas [52], Pastinacas [53], Adripias [54], Blitam [55], Ravacaulos [56], Caulos [57], Uniones [58], Britlas [59], Porros [60], Radices [61], Ascalonicas [62], Cepas [63], Allia [64], Wacentiam [65], Cardones [66], Fabas maiores [67], Pisa maurisica [68], Coriandrum [69], Caerefolium [70], Lacteridas [71], Sclareiam [72]. Et ille Hortulanus habeat sub domum suam Jovis barbam [73].

De Arboribus volumus, quod habeat:

Pomarios [74] diversi generis, Prunarios [75] diversos, Sorbarios [76], Mespilarios [77], Pirarios [78] diversos, Castanearios [79], Persicarios diversi [80] generis, Cotoniarios [81], Avellanarios [82], Amandalarios [83], Morarios [84],

---

51. Alcea rosea. — 52. Daucus Carota. — 53. Pastinaca officinalis. — 54. Lego Atriplices. Atriplex hortensis. — 55. Blitum capitatum. — 56, 57. Varietates Brassicae oleraceae. — 58. Allium margaritanum. V. Collumella XII. X. — 59. Allium tenuissimum. — 60. Allium Porrum — 61. Raphanus sativus. — 62. Allium Ascalonicum. — 63. Allium Cepa. — 64. Allium sativum. — 65. Warentiam, Röthe (Rubia tinctorum) Anton. — 66. Cf. Du Cange I. 928. Cardo s. Carduus s. cardui strobilus, quo lanae carminantur. V. Capitul. de villis §. 43 „Dent pectines, cardones, Sapones." — An Cinara Scolymus L? Gesner. Hort. German. — 67. Vicia Faba var. Saubohnen, Anton. Cf. Kolb, Bromatologie. Hadamar 1829. pag. 193. — 68. Pisum sativum, var. Gesner. hort. Germ. Mohrenerbse. V. Dierbach pag. 42. — 69. Coriandrum sativum. — 70. Scandix Caerefolium. — 71. Euphorbia Lathyris. Semina Cataputiae minoris. emeticum eo tempore vulgare. — 72. Salvia Sclarea. — 73. Sempervivum tectorum. — 74. Cf. Sickler's Geschichte der Obstkultur. Frankfurt 1802. Wallroth's Geschichte des Obstes der Alten. — 75. Prunus domestica, variet. v. g. Prunellae, Poma damascena. — 76. Sorbus domestica, Suelebom in Codd. — 77. Mespilus germanica, Meltzboum. — 78. Pirus communis V. Gesner. Hort. German. — 79. Castanea sativa Du Cange I. 963. — 80. Amygdalus persica. — 81. Pirus Cydonia. — 82. Corylus Avellana Du Cange I. 428. — 83. Amygdalus communis. — 84. Morus nigra.

Lauros [85], Pinos [86], Ficus [87], Nucarios [88], Ceresarios [89] diversi generis.

Malorum nomina [90]: Gormaringa, Geroldinga, Crevedella, Spirauca dulcia, acriora [91], omnia servatoria et subito commessura [92], primitiva, peraricus servatoria (tertium et quartum genus) dulciora et cocciora et serotina.

---

85. Prunus Laurocerasus et Laurus nobilis. — 86. Pinus sp.? — 87. Ficus Carica. — 88. Juglans regia. — 89. Prunus Cerasus. — 90. Pirus Malus. — 91. Acriores Eckhart l. c. Idem dulciores et cocciores. — 92. Commisura vel comesura? —

PULVIS

contra omnes Febres et contra omnia venena et omnium Serpentium morsus et contra omnes angustias cordis et corporis *).

Recipit haec ex Radicibus Diptamni [1] partes duas; et ex Speciebus Herbisque subscriptis tertia pars fiat: Salvia manip. II. Mentastro [2] man. I. Lavindulae [3] man. II. Appio [4] sem. Drachm. II. Faeniculo sem. drachm. II. Nepeta man. [5] I. Pipinella [6] man. II. Tormentilla [7] man. I. Accro man. [8] I. Aneti [9] seminis dr. I. Gamendrea [10] man. I. Ruta unc. I Centauria man. I. Camipiteus [11] man. I. Centonodia man [12] I. Frassofolia [13] man. I. Origano [14] man. I.

---

* E Cod. MS. Biblioth. Ecclesiae Cathedralis Wirceburgi, Saeculo IX exarato excerpsit Eckhart, Comment. Rer. Franc. orient. II, 980. V. Sprengel, Geschichte der Botanik I. 197.

1. Superaddita huic verbo erat vox theotisca vuizwurz. — 2. Addit Cod. Rosses minza. — 3. Lavandula Spica L. — 4. Apium graveolens. Drachmae signum in Cod. est ꝺ̈ — 5. vuizminza add. Cod. — 6. Pimpinella saxifraga L. — 7. Turnella in Cod. — 8. Gundereba, Cod. Glechoma hederacea L. — 9. Tillisamo Cod. — 10. Veronica Chamaedrys, Gamandrea, Quercula in Codd. al. V. L. Fuchs. Hist. plant. Cap. 335. „Dicitur, quod folia quercus habeat, et huius respectu quasi humi repat.“ — 11. Veronica Chamaepitys. V. Brunfels. Herbar. III. 36. — 12. Dnctret in Cod. Polygonum aviculare. In Codd. Centumnodia, Proserpinaca, Wegetrede. V. Serenus Samon. Medic. v. 16. „Quae septenis censentur gramina nodis.“ — 13. Erdbrama Cod. Rubus caesius Sprengel. — 14. Tosta Cod. Origanum vulgare.

Cauli sem.[15] dr. I. Solsequia[16] man. I. Iva[17] man. I. Bislingua[18] man. I. Petroselini sem. dr. I. Plantagine[19] man. I. Aitiotidus[20] dr. I. Sparga man.[21]. Quinquefolia[22] man. I. Saxifragae[23] sem. dr. I. Vincatossica[24] man. I. Hyssopi sem. dr. I. Tanaceto[25] man. I. Benedicta[26] man. I. Agrimonia[27] man. I. Menta nigra[28] man. I. Canape[29] sem. dr. I. Basilisca[30] man. I. Alleluia[31] man. I. Cerofolio sem.[32] dr. I. Savina[33] man. I. Satureia[34] man. I. Absinthio[35] man I. Artemisia[36] man. I. Millefolio[37] man. I. Febrefugia[38] man. I. Nimphaea[39] man. I. Pulcium man. I.

De **Pigmentis** vero Zaduar dr. IV. Cinnamum dr. I. Gingiber dr. I. Costo dr. I. Reopontico dr. I. Pipere dr. I. Gentiana dr. I. Gariofilae dr. I.

Fac pulverem subtilissimum; dabis bibere ad omnes neccessitates cum vino calido vel aqua calida,

---

15. Cholsamo Cod. Semen Brassicae. — 16. Sunnewirpila Cod. — 17. Aiuga Iva Sprengel? — 18. Ruscus Hypoglossum Spreng.? V. Frankenau Flora Franc. pag. 274. — 19. Wegerich. — 20. Chranewito. Cod. Juniperus communis. — 21. Sparganium ramosum Spreng. Asparagus? — 22. Potentilla reptans. — 23. Asplenium Trichomanes s. Ruta muraria. Steinpreha in Cod, — 24. Cynanchum Vincetoxicum. — 25. Reinefano Cod. — 26. Geum urbanum, Gariofila et Sanamunda apud Albertum Magnum in Mirab. Plantar. — 27. Denicleta Cod. Ferraria minor apud Vincent. Belovac. — 28. Gartminza Cod. Menthae species? — 29. Hanofsamo Cod. Cannabis L. — 30. Madalger C. Ocimum Basilicum Spreng. — 31. Oxalis acetosella L. — 32. Kervola God. — 33. Juniperus Sabina. Stuina Cod. — 34. Cuenela Cod. — 35. Werimuota Cod. — 36. pipoz Cod. — 37. Garewa. — 39. Erythraea Centaurium s. Menyanthes trifoliata. — 39. Wazarwurz Cod. —

quantum cum tribus digitis capere potest, mustum, tillessamo, dosto, fæniculi sem. antron [40], betenia [41], mago [42], polei, apii semen, petroselini, cumin, cinnamomum, gingiber, galangan, figa [43].

Infusio capitis mirra, savina, marrubium, huoswurz [44], apium, faeniculum, thus masculinum, halasalz, erdebuh [45].

---

40. An antorn, marrubium? — 41. Betonica officinalis. — 42. Papaveris somniferi semen. Magen, Codion, Mahnchraut in Codd. — 43. An Ficus? — 44. Sempervivum tectorum s. Sedum acre. — 45. Hedera terrestris Auctor. Glechoma hederacea L. —

PHYSICA S. HILDEGARDIS,

Coenobii Monialium S. Benedicti in monte S. Roberti prope Bingam ad Rhenum Abbatissae, natae anno MXCVIII, mortuae d. XVII. Septembris MCXXC.

Cf. Halleri Biblioth. botan. pag. 214. §. 163. — K. Sprengel's Geschichte der Botanik I. 200. Polycarp. Leyseri histor. poët. medii aevi pag. 437. — C. F. Harless, die Verdienste der Frauen um Naturwissenschaft und Heilkunde. Göttingen 1830. pag. 138. Dahl, die h. Hildegardis, eine histor. Abhandlung. Mainz 1832. — Editiones sunt: Argentorati 1533. fol. cur. J. Schott. ibid. 1544. fol. Coloniae 1566. 4.

Liber II.

1. Triticum. 2. Siligo. 3. Avena. 4. Ordeum. 5. Spelta. 6. Pisa. 7. Faba. 8. Lens. 9. Vichbona. 10. Cicer. 11. Visela. 12. Wichim. 13. Milium. 14. Venich. 15. Semen lini. 16. Canabus. 17. Galanga. 18. Zytvar. 19. Zinziber. 20. Ciminum. 21. Piretrum. 22. Liquiritia. 23. Cubebae. 24. Ga-

---

2. Secale cereale L. — 4. Hordeum vulgare. — 5. Triticum Spelta. — 6. Pisum sativum. — 9. Lupinus albus. — 11. Phaseoli species. — 12. Vicia sativa. — 13. Panicum miliaceum. — 14. Panici spec. — 16. Cannabis sativa. — 21. Anthemis Pyrethrum.

riofylus. 25. Christiana. 26. Peffertruch. 27. Acitula. 28. Salvia. 29. Ruta. 30. Hysopus. 31. Faeniculum. 32. Anetum. 33. Petroselinum. 34. Apium. 35. Cerifolium. 36. Levisticum. 37. Punga. 38. Nasturtium. 39. Brunnecrassa. 40. Portulaca. 41. Bachminza, alia menta, minor menta, römische Menta. 42. Balsamita. 43. Allium. 44. Aschalonia. 45. Porrum. 46. Cepe. 47. Porrum concavum. 48. Caulis. 49. Weggras, Suregrass, Raemesgras. 50. Stutgras. 51. Stur. 52. Cucurbita. 53. Pepones. 54. Rapa. 55. Radix. 56. Rhaphanus. 57. Lactuca. 58. Lactuca agrestis. 59. Gerla. 60. Lactuca silvestris. 61. Herba Senef. 62. Grana Sinapis. 63. Pastinaca. 64. Enula. 65. Poleium. 66. Papaver. 67. Tanacetum. 68. Artemisia. 69. Borith. 70. Humulus. 71. Zizania. 72. Rosa. 73. Lilium. 74. Psillium. 75. Spica. 76. Lungwurtz. 77. Scolopendria. 78. Gentiana. 79. Serpillum. 80. Marru-

---

25. Helleborus niger. — 26. Lepidium latifolium Sprengel. — 27. Acidula, Rumicis spec. — 32. Anethum graveolens. — 37. Veronica Beccabunga. — 39. Sisymbrium Nasturtium. — 40. Portulaca oleracea. — 41. Mentha aquatica. silvestris, gentilis, crispa? — 42. Tanacetum Balsamita. — 49. Polygonum aviculare, Triticum repens? — 50. Poae spec.? — 51. Conium maculatum Sprengel. — 57. Lactuca sativa. — 58. Lactuca Scariola? — 59. Sium Sisarum? V. Frankenau Flora Franc. pag. 536. — 60. Lactuca saligna? — 61. Sinapis alba? arvensis? — 64. Inula Helenium. — 69. Herba Biblica, בֹּרִית Hierem. II. 22. Saponaria officinalis? Borrago officinalis Sprengel. — 70. Humulus Lupulus. 71. Zizania, Gith, nigella saepe synonyma Agrostemmae Githago L. Lolium temulentum habet Sprengel. secutus Frankenau Floram Francic. pag. 639. — 74. Plantago Psillium. — 74. Lavandula Spica. — 76. Pulmonaria officinalis. — 78. Asplenium Scolopendrium L. —

bium. 81. Lavendula. 82. Faenum graecum. 83. Cicuta. 84. Semperviva. 85. Brionia. 86. Frasica. 87. Sanicula. 88. Hermodactilus. 89. Filix. 90. Polypodia. 91. Humela. 92. Haselwurtz. 93. Herba Aaron. 94. Stignum. 95. Cardus. 96. Wurtz. 97. Esula. 98. Quinquefolium. 99. Mandragora. 100. Windae. 101. Apiago. 102. Solsequium. 103. Lylim. 104. Malva. 105. Cardo. 106. Lappa. 107. Vehdystel. 108. Urtica. 109. Plantago. 110. Menua. 111. Viola. 112. Atriplex. 113. Aserum. 114. Abrotanum. 115. Cithysus. 116. Absinthium. 117. Jusquiamus. 118. Origanum. 119. Millefolium. 120. Agrimonia. 121. Diptamnus. 122. Febrifuga. 123. Pilosella. 124. Gladiola. 125. Ebulus. 126. Solatrum. 127. Ringella. 128. Blandonia. 129. Alentidium. 130. Centaurea. 131. Dactilosa. 132. Pandonia. 133. Citterwurtz nigra et alba. 134. Basilisca. 135. Bibinella. 136. Acoleia. 137. Cito-

---

86. Ranunculus Thora Spr. Lego Brassica. — 88. Colchicum autumnale. — 91. Lamium album? — 92. Asarum europaeum? — 94 An Strignum? Solani spec. — 95. Cardui spec. — 96. Rheum rhaponticum Spreng. 98. Potentilla reptans. — 99. Atropa Mandragora. — 100. Convolvulus arvensis vel sepium. — 101. Thymus? — 103. Lilium Spr. — 106. Bardana Lappa. — 107. An Eryngium? Centaurea Calcitrapa Spr. 110. Menuel legit Spr. interpr. Rumex acutus. — 113. Asarum? — 123. Hieracium Pilosella. — 126. Solani spec. V. Gesner. Hort. German. — 127. Calendula officinalis Spreng.— 128, 129. Voces explicatu difficillimae. — 131. Panicum Dactylon Spreng. — 132. Chelidonium maius Spreng. — 133. Zedoaria Spreng. — 134. Ocimum Basilicum Spr. — 135. Pimpinella Saxifraga. — 136. Aquilegia vulgaris. — 137. Solanum Dulcamara Spr. —

catia. 138. Berwurtz. 139. Saxifrica. 140. Ugera. 141. Chelidonia. 142. Ebech. 143. Ibiscus. 144. Denemarcha. 145. Calamentum. 146. Kranchschnabel. 147. Consolida. 148. Rustica. 149. Gelisia. 150. Gith. 151. Verbena. 152. Satureia. 153. Megilana. 154. Dornella. 155. Cicula. 156. Storckenschnabel. 157. Aristolochia. 158. Benedicta. 159. Rubea. 160. Ficaria. 161. Weich. 162. Himelschluzela. 163. Birchwurtz. 164. Erdtpeffer. 165. Huoflathdeta maior et minor. 166. Plionia. 167. Scamphonia. 168. Hunesdarm. 169. Razela. 170. Dorth. 171. Cardus. 172. Brambere. 173. Fraga. 174. Simez. 175. Thimus. 176. Herba, in qua Walbere.

---

138. Aethusa Meum Spr. — 139. Saxifraga, Asplenium Trichomanes Spr. — 140. Colchicum autumnale Spr. — 142. Sambucus Ebulus. — 143. Alcea rosea. — 145. Valeriana officinalis, — 145. Melissa officinalis. — 146, Geranium pratense. Erodium moschatum Spr. — 147. Consolidarum sive Solidaginum nomine variae in scriptis Veterum occurrunt herbae. Consolida maior est Symphytum officinale, Cons. minor est Bellis perennis, Cons. media est Prunella officinalis. Consol. aurea est Solidago virga aurea. V. Bock's Kräuterbuch pag. 92, 117, 188, 210. et Frankenau pag. 158. — 148, 149. Voces dubiae. — 150. Agrostemma Githago. — 153. Solanum Melongena male interpret. Spr. 154. Turnella, Tormentilla L. — 155. An legendum Cicuta? — 156. Erodii spec.? — 158. Geum urbanum. — 159. Geranium Robertianum 160. Ranunculus Ficaria. — 161. Holcus lanatus Spreng.? — 162. Primula Veris. — 163. Potentillae spec. — 164. Capsicum annuum Spr. Male! — 165. Tussilago Petasites et Farfara. — 166. Hyoscyamus niger. — 168. Alsine media. — 169. An Melampyrum arvense? — 170. V. Bock's Kräuterbuch 248. Poae spec. — 172. Rubus fruticosus — 173. Fragaria vesca. — 174. Stellaria media Spreng. — 175. Vaccinium Myrtillus.

Liber III.

1. 2. Nux muscata. 3. Cinnamomum. 4. Piper. 5. Balsamum. 6. Lignum Aloe. 7. Myrrha. 8. Thus. 9. Camphora. 10. Cedrus. 11. Cypressus. 12. Palma. 13. Castanea. 14. Nespelboum. 15. Ficus. 16. Laurus. 17. Oliva. 18. Boncitherim. 19. Malus. 20. Pirus. 21. Nux. 22. Quotanus. 23. Persicus. 24. Cerasus. 25. Prunus. 26. Esculus. 27. Mulberboum. 28. Amygdalus. 29. Corilus. 30 Savina. 31. Buxus. 32. Abies. 33. Picea. 34. Tilia. 35. Quercus. 36. Fagus. 37. Fraxinus. 38. Tremulus. 39. Alnus. 40. Platanus. 41. Taxus. 42. Vibex. 43. Fusarius. 44. Carpenus. 45. Cornus. 46. Mirtus. 47. Juniperus. 48. Holderboum. 49. Meltzboum. 50. Yffa. 51. Hartboum. 52. Mirica. 53. Tribulus. 54. Spina. 55. Vitis. —

---

14. Mespilus germanica. — 18. Rhus? — 22. Pyrus Cydonia. — 26. Quercus sp.? — 27. Morus nigra. — 38. Populus tremula. — 42. Vitex Agnus castus Spreng. — 43. Euonymus europaeus. — 44, Carpinus betulus. — 48. Sambucus nigra. — 49. Mespili vel Sorbi spec.? Pyrus Aria Spreng. — 50. Rosa canina? — 51. Apud Mattuschk. Flora Siles. Hartbaum est Carpinus betulus. Cornus mascula Spreng. — 52. Tamarix germanica. — 54. Prunus spinosa. —

PLANTAE

ALBERTI MAGNI,

Episcopi Ratisbonensis, mortui a°. MCCLXXX. Cf. Sprengel, Geschichte der Botanik. I. 234. (Liber de mirabilibus mundi — de virtutibus Herbarum.)

Editiones mihi erant: Amstelodam. 1669. 12, 1760. 8. et Versio germanica Q. Apollinaris, Strassburg. 1548. 4. —

1. Agrimonia Eupatorium. 2. Artemisia Absinthium, vulgaris, Abrotanum. 3. Althaea officinalis. 4. Arctium Lappa. 5. Asarum europaeum. 6. Anethum Feniculum. 7. Aspidium Filix mas. 8. Asplenium Trichomanes. 9. Ballota nigra. 10. CichoreumIntybus. 11. Chelidonium maius. 12. Cynoglossum officinale. 13. Carum Carvi. 14. Cuminum Cyminum. 15. Cucurbita lagenaria. 16. Corydalis bulbosa. 17. Convallaria Polygonatum. 18. Castanea vesca. 19. Coriandrum sativum. 20. Dipsacus Fullonum. 21. Erythraea Centaurium. 22. Glycyrrhiza glabra. 23. Hedera Helix.

---

5. Azarum. — 7. Filix. — 8. Capillus Veneris. — 9. Marrubium. 10. Eliotropia, quia conversa est ad Solem. — 11. Chelidonia. — 12. Lingua canis. — 16. Aristologia rotunda. — 17. Diptamus. — 20. Virga pastoris. — 21. Centaurea. — 22. Liquiritia. — 23. Hedera arborea.

24. Helleborus niger. 25. Heracleum Sphondylium. 26. Hyoscyamus niger. 27. Juniperus communis. 28. Lamium album. 29. Lilium candidum. 30. Lactuca sativa. 31. Matricaria Parthenium. 32. Myosotis scorpioides. 33. Mentha aquatica, crispa. 34. Mercurialis annaa. 35. Mespilus germanica. 36. Morus nigra. 37. Nepeta Cataria. 38. Origanum Maiorana. 39. Nigella sativa. 40. Polygonum Bistorta. 41. Plantago lanceolata, media. 42. Pastinaca sativa 43. Pyrethrum inodorum. 44. Potentilla Tormentilla. 45. Portulaca oleracea. 46. Paeonia officinalis. 47. Pedicularis palustris. 48. Pyrus Cydonia. 49. Papaver somniferum. 50. Rosa centifolia. 51. Cyclamen europaeum. 52. Rosmarinus officinalis. 53. Rumex acetosa. 54. Rubus fruticosus. 55. Sambucus nigra. 56. Sambucus Ebulus. 57. Scirpus lacustris. 58. Symphytum officinale. 59. Scandix Caerefolium. 60. Salvia officinalis. 61. Sisymbrium Nasturtium. 62. Solanum nigrum. 63. Thlaspi bursa pastoris. 64. Thymus Serpyllum. 65. Tamarix germanica. 66. Urtica dioica. 67. Valeriana officinalis. 68. Vaccinium Myrtillus. 69. Viscum album. 70. Vinca minor. 71. Verbascum Thapsus.

---

25. Branca ursina. — 26 Jusquiamus, Caniculata. — 28. Barotus. — 29. Lilium. — 31. Matricaria. — 32. Camedrios. — 35. Mespilum. — 37. Nephta. — 39. Nigella. — 40. Serpentina. — 47. Staphisagria. — 51. Arthanita. — 62. Solatrum. — 65- Tamaristus. — 68. Mirtus. — 70. Proventalis sive Provinca. — 71. Taxus barbatus. —

Herbae septem, quae a Planetarum influentiis virtutem habent:

1. Lilium Martagon. 2. Polygonum aviculare. 3. Cynosbatos? Rosa canina. 4. Plantago media. 5. Potentilla reptans. 6. Hyoscyamus niger. 7. Verbena officinalis.

---

1. Affodilius, Saturni. — 2. Poligonia sive Corrigiola, Solis. — 3. Chrynostates, Lunae. — 4. Arnoglossa, Martis. — 5. Pentaphilon vel Pentadactylos vel Sepedeclinans, Mercurii — 6. Jusquiamus, Jovis. — 7. Hierobotane, Veneris.

PLANTAE SAECULIS XV, XVI IN GERMANIAM ADLATAE.

Restauratarum abinde scientiarum solertiorisque Rei Herbariae studii sæculo, Floram Germaniae plantis aliunde translatis indies auctam cernimus. Principum liberalitate horti publico botanophilorum aditui patentes et Seminaria plantarum advenarum condita sunt 1). Inde felici Florae patriae incremento laetatus scribit pius Tragus, Herbar. pag. 241. „Unser Germania wird bald felix Arabia heissen, dieweil wir soviel fremder Gewächs von Tag zu Tag aus fremden Landen in unsern Grund gewöhnen." —

1. Polygonum Fagopyrum L.

Conradus Heresbachius rei rusticae L. IV. Spirae Nemet. 1595. 8. pag. 120. „Frumentum hoc non ita

---

1. Sprengel, Geschichte der Botanik I. 259, 341. — Haller, Biblioth. botan. I. 398, 411. — Beckmann, Geschichte der Erfindungen III. 297. — Multum ad illustrandam aetatis huius Floram valent: Conr. Gesneri Horti Germaniae. Argentor. 1561. fol. J. Thalii Northus. Catalogus plantar. sponte crescent. in montibus et locis vicinis Herciniae silvae. Francofti. 1588. 4. Joach. Camerarii Hortus medicus et philos. Francofti. 1588. 4. J. Wigandi Flora borussica. Jenae 1590. 8.

pridem e Sarmatiae septentrionalibus oris in Germaniam advectum, iam in frequenti usu, et suibus saginandis et pultibus faciendis, aliisque frumentis deficientibus, cum annonae premit penuria, et cerevisiae et pani conficiendo plebi usurpatur." Cf. Joann. Bruyerini cibus medicus, sive de re cibaria LL. XXII. Norinberg. 1659. 8. L. V. cap. 23. Bock's Kräuterbuch pag. 240.

2. Zea Mays L.

Aetate Hieronymi Tragi primum culta. V. eiusd. Kräuterbuch pag. 241.

3. Datura Stramonium [2]) L.

Initio saeculi XVI in hortis Norinbergae floruit, Hyoscyami peruviani, Solani foetidi spinosi, Stramoniique spinosi nomine nota. Magno quidem studio serebatur, sed raro maturescebat, quae nostra aetate iniussa ubique locorum provenit.

4. Viola odorata [3]) var flor. plen.

E Sabaudia attulit Conrad. Gesnerus, Hort. German. pag. 286.

5. Tagetes patula et erecta.

Flos africanus, Caryophyllus indicus, Tanacetum

2. Daturam in ora Malabarica nasci, notat Matthiolus in Comment. ad Dioscorid. I. 141, eandem Cingaros ex Ostindia adtulisse, narrat Willdenow, Grundriss der Kräuterkunde. Wien 1799. pag. 361. Cf. Hieron. Tragus Kräuterbuch pag. 330. Valer. Cordus de plantis I. 12. — 3. C. Sprengelii antiquitatum botanicar. specim. Cap. I.

peruvianum, Othonna, Thuenisbloemen Auctor. Quas Carolus V imperator Tuneto redux circa annum 1541 adtulit hortis nostris. Cf. Conrad. Gesner. Hort. German. pag. 259. Valer. Cord. de plant. L. I. 17. R. Dodonaei hist. flor. pag. 62. Bauhin. hist. plant. III. I.

6. Aesculus Hippocastanum [4].

7. Syringa vulgaris [5].

8. Lychnis chalcedonica [6].

Quas Augerius Gislenius Busbequius, vir clarissimus, imperatoris Austriae orator et legatus, Constantinopoli secum tulit annis 1557—1580. — Aesculus Lutetiam venit circa annum 1615 [7])

9. Tulipa Gesneriana.

Conr. Gesnerus in epistola de Tulipa Turcarum habet: „Hoc anno a nativitate Domini 1559 initio Aprilis Augustae Vindelicorum in horto magnifici viri J. H. Herwarti vidi herbam hanc, ortam e semine quod Byzantio allatum erat. Florebat tum temporis flore uno

---

4) Matthiol. epistol. III. I. in opp. omn. Basil. 1674. f. Quilelmus Quacelbenus medicus oratoris Busbequii in epistola Constantinopoli ad M. data, de fructu arboris huius scribit „Castanearum species hic frequens reperitur, quae ob id vulgo equinae cognominantur, quod ternae aut quaternae devoratae, pectoralium equorum morbis, tussi praesertim et anhelitus difficultati opitulentur.“ — Lobelii Adversar. Antverp. 1576. fol. pag. 433. — 5. V. J. Jonstoni histor. natur. de arboribus. Francof. 1662. f. L. IX. 2. — 6. Flos constantinopolitanus Dodonaei, histor. pag. 178. — 7 J. Beckmann, Beiträge zur Geschichte der Erfindungen I. 501. Duhamel, von Bäumen Sträuchen etc. Nürnberg 1762. 4. I. 208. —

pulcherrime rubente, magno instar lilii rubri.“ Cf. Kunstgeschichte der Reichsstadt Augsburg von Stetten. Augsb. 1779. pag. 122. — Bellermann, die Geschichte der Tulpe, im Berlin. Magazin, botan. Abhandlung. I. 1807. [8]).

10. Fritillaria imperialis.

Constantinopoli missâ, flores protulit Aprili 1582 in horto pharmacopolae Joannis Nesenii Francofurti ad Moenum. V. Lonicerus Kräuterbuch pag. 307.

11. Nicotiana Tabacum.

Primus hanc herbam describit in itinerario Columbus. V. Barcia historiadores primit. de las Indias occident. I. 24. — Hieron. Benzonii nova novi orbis historia. Genev. 1578. In agro Lisbonensi cultam esse constat anno iam 1540, unde J. Nicotius, regis Franciae orator, circa annum 1564 misit Catharinae e stirpe Mediceorum, reginae [9]). Tabaci virtutes summa laude efferebantur ab aetatis illius medicis, tritumque erat proverbium: „Non est in mundo praestantior herba Tabaco.“ Plurima Tabaci Eponyma [10]) habet Frankenau in Flora franc. Leipzig 1736. pag. 398. Cf. Aegidius

---

8. Sponte crescentem reperit Tulipam in agris circa Adrianopolim orator Busbequius. V. eiusd. opera, quae exstant. Basil. 1740. 8. pag. 36. „per haec loca transeuntibus ingens ubique florum copia offerebatur, narcissorum, hyacinthorum et eorum quos Turcae Tulipan vocant etc.“ — 9) Cf. Die Botanik der Geschichte und Literatur von Frau von Genlis, übers. von K. Stang. Bamberg. 1817. II. 119. — 10. Herba Reginae, S. Crucis, matris, S. Catharinae, Sanasancta.

Everardus de herba Panacea, quam alii Petum alii Nicotianam vocant, Commentariolus. Antverp. 1587. 12. — J. Neander, Tabacologia. Lugd. Batav. 1626. P. Scriverii Saturnalia de usu et abusu Tabaci. Hagae-Comit. 1683. Exstant versus aliquot de viribus Tabaci, Castore Duranto, ut fertur, auctore:

„Nomine quae sanctae crucis herba vocatur, ocellis
Subvenit, et sanat plagas et vulnera iungit.
Discutit et strumas, cancrum, cancrosaque sanat
Ulcera, et ambustis prodest, scabiemque repellit.
Discutit et morbum cui cessit ab impete nomen,
Calfacit et siccat, stringit, mundatque, resolvit.
Et dentum et ventris mulcet capitisque dolores.
Subvenit antiquae tussi stomachoque rigenti.
Renibus et spleni confert, ultroque venena
Dira sagittarum domat, ictis omnibus atris
Haec eadem prodest, gingivis proficit, atque
Conciliat somnum, nuda ossaque carne revestit.
Thoracis vitiis prodest, pulmonis itemque,
Qaue duo sic praestat non ulla potentior herba.
Hanc Sanctacrucius Prosper, cum nuntius esset
Sedis Apostolicae Lusitanas missus in oras,
Huc adportavit Romanae ad commoda gentis,
Ut proavi Sanctae Lignum Crucis ante tulere,
Omnis Christiadum quo nunc respublica gaudet,
Et Sanctae Crucis illustris domus ipsa vocatur,
Corporis atque animae nostrae studiosa salutis."

12. Solanum tuberosum.

Utilissimam hanc plantam, quam optimo iure humani generis Ambrosiam vocare nemo dubitet, primus Europae intulit Franciscus Drake, audax navigator,

anno 1586. Descripsit tubera primus Casparus Bauhinus 1590. Qualterus Raleigh 1623 in Hibernia colenda in agris curavit, quae ex Virginia comparaverat. Anno 1650 in Germaniam pervenerunt. V. Matthiol. in Dioscorid. IV. 69.

13. **Helianthus annuus et multiflorus.**

Sæculi XVI initio hortos patriae, Solis indiani cognomine, primum adibant. V. Simplic. medicament. ex novo orbe delatorum, quorum in medicina usus est, histor. LL. III. ex hispan. N. Monardis vert. C. Clusius. Antverp. 1582. 8. pag. 21. „herba Solis iam multis annis per universam fere Europam vulgaris notitiae est. Duorum est generum, nam alterum multis ramis surgit totidemque flores producit, alterum unicum florem unico fert caule."

14. **Scorzonera hispanica.**

Exeunte sæculo XVI in hortos patriæ migravit, e Hispania profecta, si fidem habemus Matthiolo, Epist. V.

15. **Oenothera biennis.**

E Virginia translata est in Germaniam anno 1674 a Francogallis, qui radice haud ingrati saporis vesci solebant. Sunt, qui anno iam 1614 in Gallia cultam fuisse dicant.

FLORIDI MACRI

DE

VIRIBUS HERBARUM

CAPITA

— IX, ex Editione principe Neapolitana 1477. fol. *)

et

— X, e Codice MS. Guelferbitano chartaceo, a°. 1508 exarato, (Cf. Ebert. codd. Guelferb. 108. 548. et F. Boerner, noctes Guelph. pag. 129.) inter Malva et Cicuta

excerpta.

---

*) Libro rarissimo, in Biblioth. Reg. Monachii S. Inc. c. a. 635 asservato. — Afferam hoc loco editionem Macri a Choulantio omissam, quam e Bibliotheca Universit. Wirceburgensis mihi communicavit Vir doctissimus A. Ruland, bibliothecae praefectus: Folium 1a monachum exhibet scribentem cum cane ad pedes sedente. Fol. 1b eadem icon. Fol. 2a Macer Floridus de viribus herbarum Hic suo libello dat initium. Infra icon Artemisiae et caput primum de arthemisia. Characteres gothici et icones xylographae. In fine legitur: Macer Floridus de herbarum viribus hic suum capit periodum. Impressus Parisius (sic) per magistrum Johannem Seurre pro mag. Petro Bacquelier. anno christi millesimo quingentesimo sexto. solis decembris trahente quintam. — Forma 8. min.

EDITIONIS NEAPOLITANAE

Caput XLVII.

DE EMATITE. *)

Sumsit Ematites graeco de sanguine nomen.
Naturae est humidae lapis servire creatus,
Stiptica cui virtus permulta probatur inesse.
Nam palpebrarum super illitus asperitatem
Et visus hebetes pulsa caligine purgat.
Eius fragmento si glaria mista sit ovi
Succo dilutus quem punica mala remittunt,
In medicinali velut ad colliria cute
Vel resolutus aqua, iuvat qui sanguinis ore
Spumas emittunt: et quaelibet ulcera sanat.
Potatus stringit patitur quem femina fluxum,
Carnes crescentes in vulnere pulveris huius
Vis premit et ventrem retinet sine mora fluentem.
Vinoque dilutus veteri bibitusque frequenter
Serpentis morsum vel quod sit ab aspide vulnus
Egregie curat, munctus et aquis resolutus.
Mistus melle potest oculos sanare dolentes,
Vesicae lapides bibitus dissolvere fertur,
Hic ferrugineo rufoque colore notatur,
Africa mittit eum seu Ethiopes Arabesque,
Archadie tellus lapidem producit ebesten,

---

*) Cf. Macri de materia medica libri V versibus conscripti per Janum Cornarium. Frcofti. 1540. 8. L. V. C. 33.

Ferreus huic calor est, naturae mira potestas,
Feminei sexus referens mutando labores,
Nam quibus ex causis dubium: sed tempore certo
Concipit et parit et parentibus auxiliatur
Ultima quas urget dubii discriminis hora.
Accipe Satirion lingua avis Mercuriumque,
Accipe Pimpinellam et tere cum Caprifoliumque,
Accipe Cerefolii succum et Argentillam,
Et totidem mellis et da bibere patienti.

Cap. LXVII.

DE ROREMARINO.

Quantum cognovi dicam de Rore marino:
Nomen tale tenet quoniam crescit mare iuxta,
Natura calidus et stringens dicitur esse,
Nam locum stringit: dentis sedare dolorem
Si masticata fuerit radix, perhibetur,
Sive super dentes eius succus teneatur.
Istam contundens oleo si iungas olivo,
Languentes sanat, procurataque prurigo
Per succus huius biduo triduoque receptos,
Ut iungatur aquae calidae veterique Falerno,
Haec tussim curant piperi mellive iugata.
Interiorque dolor pacto curatur eodem.
Istius cineres atico melli sociati
Ex oculis album tergunt, claros quoque reddunt.
Haec adipi iunctaque sunt nova vulnera sanat,
Extinguit febres ipso potata momento.

Cap. LXVIII.

DE PIMPINELLA.

Pimpinella potest sanare caput tineosum,

Cum vino sumpta cito discutit omne venenum
Et sedat tussim, si consociatur aceto
Omnes qui circa cor sunt, fugat ista dolores,
Et clavos potu et cum cataplasmate sanat.
Haec solvit ventrem, quia si vomis, hinc morieris.
Plagatus bibit hanc, quam si per vulnera reddit,
Non evasurum cognoscas, sed moriturum.
Pimpinella satis laxas et fervida valde
Vulnera permundat, transverberat, excoquit, aptat.

Cap. LXIX.

DE TORMENTILLA.

Sic dissentericis poteris succurrere morbis:
Decoque fruticum cum limpha, deinde remota
Lac caprae ponas et sic commista parumper
Contere detorquens per pannum, deindeque cocta
Pulvere tormentillae si sparges et sic edat aeger,
Hic etiam pulvis cancrum sanare refertur
De quo si fuerit sparsum sepe, serpere cessat.
Haec etiam dubios fertur curare caducos,
Si miscetur aqua quem potum suscipit aeger,
Qui potus laterum poterit sedare dolorem.
Haec tormentilla viridis collecta teratur,
Sic succum pressum per pannum collige miscens
Cum vino et cervisia, si sit saepius haustus
Subvenit infirmis oculis, sanosque tuetur,
Aut herbam tritam commiscens hosque liquores
Et potare voles, per pannum distrahe succum.

Cap. LXX.

DE QUINQUEFOLIO SEU PANTAFILON.

Pantafilon folia quia quinque videtur habere

Dicitur, ipsa locis multis nasci perhibetur,
Blanda manu, pulcra visu, gustu sed amara.
Articulis laesis uncto coniuncta medetur,
Potatus succus ventris sedare dolorem
Nascitur, ac idem varium fluxum retinebit.
Si bibitur et si vultus illo liniatur,
Inguinis haec etiam faciet cessare furorem,
Si potus binos circa trinoque ciatos,
Hocque modo morsus serpentum curat ubique,
Et combusturis haec idem saepe medetur.
Haec fluxum ventris retinet cum lacte caprino.
Succus pulmonis vitiis iecorisque medetur,
Cum vino vel aqua mox discutit omne venenum,
Procurat renes limphae calidae sociatus,
Inflatum ventrem sanat, duroque medetur
Istius pulvis modico cum melle iugatus
Succuret vitiis linguae gulaeve fricatis.
Pentafilon uncto veteri commista suillo
A sale purgato veteri plus sparsa Falerno
Emundat cancrum semel aut bis terve perunctum.
Debile tota caput sanat contrita linitum.

Cap. LXXI.

DE DIPTANO.

Diptannus calidam naturam fertur habere,
Ipse iuvare solet mulierem parturientem,
Succus cum vino coniunctus pellit abortum.
Si febris affuerit calidae coniungito limphae,
Et sine damno mox salvabitur atque periclo.
Hic idem succus plagas omnes cito sanat
A ferro factas saxo, cane, fuste, vel angue
Vel quocunque modo potatus fusus et intro
Isque fugat virus cum vino saepius haustus.

Contere diptanum agrimoniamque simul abrotanumque,
Et sumens succum mundo coniunge butiro.
Unguento tali si sunt nova vulnera, sanas.
Bestia percussa diptanum pascitur, et si
Vulnus sanatur et ferrum pellitur extra.
Dicitur odore colubros tactuque necare,
Huius aquae succus vinoque bono sociatus
Potatusque potest amisam prodere vocem,
Hocque modo tussim sumptus sedare dolorem.

Cap. LXXII.

DE TITIMALLO.

Nosco duas species Titimalli, sed tamen illis
Nomina bina dabant antiqui, dantque moderni,
Una domestica fit et altera crescit in agris,
Dissimilis foliis sed vis par est in utrisque
Acrior, illa tamen quae sicut spurgia surgit
Est utraque satis solvens et fervida valde,
Insedare cutem dicunt et tollere pilos,
Furtice contrita titimalli conprime succum
Et vino iungens ieiunus sumito saepe.
Viscera laesa iuvat et ad intima cuncta valebit,
Si celidoniae succo lac iunxeris huius,
Verrucas poteris paucis sanare diebus
Si dum stat crescens hanc rumpis, lac cadit inde
Si teris hanc ruptam viridem tunc deprime succum,
Phistola sanatur per eum vino sociatum.
Si super infundis pastellum desuper aptans,
Flos in resina coctus leniere leprosos
Dicitur, ac huius radicis pulvere facto
Et vino iuncto vomitum dat, mollit et alvum
Inter ruscus aquis calidis adipique iugatus

Et bibitus durum ventrem nimis et cito solvit
Temporis aestivi, collecto lacte diebus
Ac indurato multos servabis ad usus,
Moreque Scamoniae facies quodcumque volebis,
Aut vomitum dabis aut ventrem et utrunque movebis.

Cap. LXXIII.

DE RAFANO.

Naturae calidae Rafanum cognovimus esse,
Si comedis movet urinam, ventrem quoque laxat,
Ac ter contritus si coniungatur aceto
Et melli vomitum stomacho deducit ab imo,
Ex hoc si trito factum fuerit cataplasma
Ydropicis et spleneticis valet auxiliari,
Et tali pacto sinacem si gargarizando
Procuras fucum, melli iungens et aceto
Huius radicem tritam conjunge saponi
Ac super ubilicum ponens cito molliet alvum.
Haec radix poterit stomachum sedare comesta
Coctaque cum vino fertur curare petrosam
Vesicam, vino et cervisiae si sociatur
Dum te stufabis, vel balnea sicca tenebis.
Hoc quoque lumbricos vermes tineasque repelles,
Sucum ieiunus potans genuumque dolorem
Sic sanare potes ut dicunt atque tumorem.
Contritum Rafanum lini sacco religatum
Ac superinductum tribus imponendo diebus
Hoc oleo cocto caput unges, carpe soporem
Oximel et semen siriancus gargarizabit.

Cap. LXXIV.

DE CONSOLIDA.

Esse duas species Consoldae novimus omnes,

Una minor fertur et dicitur altera maior,
Hanc quoque Consiriam quidam vocitare solebant,
Dicunt utramque fractis ruptisque mederi.
Albo flore minor surgit per prata viasque
Cum folio parvo viridi terraeque iacenti,
Maior Consolda passim reperitur in ortis.
Pulvis cum vino mulieris menstrua stringit,
Origano stomachi placat coniuncta dolose
In tepidis prunis radix eius bene cocta
Et melli iuncta fractos ruptosque iuvabit,
Antidotum tale ieiunus sumere debes.
Huius radices coctae mellique iugatae
Et piperis quantum tibi convenire videtur
Tussim sedabunt, et ad intima iuncta valebunt.
Si quis eam dubitat tantum virtutis habere,
Tunsas radices mittat cum carne coquenda;
Quae divisa prius fuerant, coniuncta videbis,
Ossaque confracta vel conquassata iuvabis,
Si vino piperi melli sociata bibatur,
Vulnera rupturas fracturas sic medicatur,
Os fractum solidat uncto veteri sociatum.

CAPITA
CODICIS MS. GUELFERBITANI.

I. QUINQUEFOLUM SEU PENTAPHYLLON.

Herbam Pentaphilos Graeci nostrique fatentur
Quinque tenens folia, fertur cuius medicina:
Si sine sit trita sale, cum veteri bene mixta
Arvina citius supposita vulnera curat,
Cum sint articuli vitio vel vulnere laesi.
Jure duo sumpta tantum cochlearia plena
Dicunt absque mora ventris sedare dolorem.
At eadem sicci pulvis cum melleque mixtus
Ora vel arterias fauces linguas ea purgat.
Ter circumscripta medio cum pollice sumpta,
Post et contrita sanat caput inde perunctum,
Eius vel radix capiti religata iuvabit.
Succus potatus vel frons exinde peruncta
Sistit manantem de naribus illa cruorem.
Tres ciathos sume, sic anginis medicare.
Haec vino mixta fertur prohibere venena,
Serpentis trita potataque subvenit ustis.

V. 3. Apuleii virtut. herbar. Edit. Torin. Cap. II. „Herba Quinquefolium cum axungia vetere sine sale imposita sanabit vitia artuum; ad ventris dolorem eius succum dabis bibere cochlearia duo, sine mora dolorem tollet. Herba circumscripta ter digito medio et pollice sublata contrita et capiti inlita efficaciter sanat capitis dolorem etc. Cf. Plinii Sec. de re medica L. I. 1. (Edit. Torin.)

Haec adipi si sit porcino iuncta terendo,
Et vino sparsa fundens per lignea vasa,
Post apponatur et sic cancer medicatur.

II. AGARICUS.

Agarici species geminae sunt, ipsa probat res.
Altera nempe maris, ac altera sit mulieris,
Esse tamen melior species fertur mulieris.
Harum sed formas cognoscere si cupis ipsas,
Impositum fructum super hoc aliud tamen unum,
Masculus interius est levis atque rotundus,
Inque gradu primo calidi sunt atque secundo.
Sicci sed purgant pectus per flegmata solvunt,
Grosos viscosos humores extenuantur,
Haec et mortiferum restringit sumpta venenum.
Hausta valet contra renis iecorisque dolores,
Prosunt pulmoni splenis solvuntque tumores,
Stranguricos simul ictericos sanantque dolores,
Febribus occurrunt, prosunt et sumpta caducis,
Menstrua sicque vocat et ventum ventilat extra,
Glandes sic sanat haec si contrita bibatur,
Dicere non opus est haec omni tempore prodest.

III. GENTIANA.

Herbae Gentianae vis est et sicca calensque,
Tertius huic gradus est tenuans et mundificansque,
Splenis vel iecoris dicunt curare dolorem,
Est aqua si calida potu data melleque mixta,
Morsus serpentis eadem cataplasmate curat,

V. 8. Cf. Plin. R. med. I. 60. — III. V. Apuleius virt. herb. Cap. XVI. Habet Caput hoc Rantzovius in Edit. Macri Hamburg 1590. 8. Pag. 75.

Menstrua sic purgat, haec pessariata secundam
Fertur, et extinctos citius depellere factus,
Et multis aliis affirmant utile causis.

IV. PROSERPINATA SEU PROSERPINARA.

Nascitur herba locis Proserpinaria cultis,
Aggere vel prato legis hanc in tempore cuncto.
Illius succus sine fumo si tepefactus
Austere cum vino fuerit, qui sputa cruenta
Jactant octo dies bibitur si potio, prodest.
Si roseo succus oleo coniungitur eius,
Inde dolor lateris unctus depellitur omnis,
Tritam butyro tumidis impone mamillis,
Et sic mammarum fertur sedare dolorem.
Eiusdem succus etsi fuerit tepefactus
Auribus infusus, dolor ullos non manet intus,
At eius succus ad aquam calidam bene mixtus
Est dysentericis sic haustus valde salubris.
Succum cum piperis eiusdem suscipe granis,
Contra quartanas valet haec potatio multum.
Huius si formam quaeris; tunc inspice rutam,
Nam foliis rutae sua folia sunt similata,
Continet et flores albos roseosque colores.
Cui constrictoria est summa est et styptica virtus,
Cum lympha potata iuvat febris ante tremorem,
Pestiferos morsus vino potataque curat,
Urinas purgat et menstrua sumta resolvit.
Humores stillant mulieri dum genitales.
Appositus succus per lanam fluxa coercet,

IV. 4. Apul. l. c. cap. XVIII. „Proserpinacae herbae succus cum vino optimo et austero sine fumo tepefacto sanguinem excreans ieiunus bibat per dies novem.“

Glutinat herba recens vulnus, superaddita trita.
Compescit sacrum si trita apponitur ignem.

V. LIQUIRITIA.

Multas nam vere Liquiritia fertur habere
Virtutes: cuius calor est minoratus humecta
Dulcis: tussantis guttur iuvat atque medetur
Pectus: pulmonis venas refovendo regabit.
Curat namque sitim, stomachi nocitura fugabit.
Coctio si lymphae miscebitur, haec operatur.
Pectoris infirma curantur in hac medicina,
Spirituum cunctis et congruit illa strumentis.

VI. LUPINUS.

Fervida Lupini vis siccaque dicitur esse,
Et rubeam choleram purgat iecorisque dolorem
Sedat, et hydropicis prodest, apostemata sanat,
Et laxativus potatus succus et eius
Crudus sed coctus aperit, vulvam quoque laxat.
Contra phlegmones quae sunt splenis iecorisque
Cum solatri succo coctus fit et optimus ille
Ictericos curat bibitur si potus et idem
Ventres humectat hic extiguitque calorem.
Pellit et e splene cataplasmatus ille dolorem
Auribus in,usus has a putredine mundat,
Naribus adiuncta iuvat haec eadem medicina,
Cuius ros oleo commixtus sicque medetur,
Ignis quos laesit refrigerat hoc medicamen.

VII. SOLSEQUIUM.

Solis sponsa gradu primo cum frigore sicca

VI. Cf. Apul. Cap. CXI.

Confortat stomachum morsum iuvat atque venenum.
Cum myrrha mixtum mulierum menstrua purgat,
Et sic endivam potata solet medicare.

VIII. SALIUNCA.

In primis siccae gradibus nam sunt Saliuncae,
Frigus inesse gradu narratur nempe secundo.
Aegroto capiti removet procul illa calores,
Auribus infusus sanabit vulnera succus.
Cortex usta iuvat et aceto mixta medetur
Verrucas, quibus est auctor Galienus et item
Cum florent salices si cortice tunc spoliantur,
Confortant oculos defectos, dant meliores
Pomorum succus et frondines Saliuncae,
Potatus vetat hic partus stringitque meatus
Sanguinis et vera sunt omnia namque probata.

IX. SARCOCOLLA.

Sarcocolla calet etiam fit sicca probata,
Interius morbos curat summa exteriusque,
Viscosum flegma iuvat, arteticos quoque sanat.
Sciaticos simul haec oculis medicabitur udis,
Ophthalmos curat, oculorum pustula cedit
Eius virtute, maculas de corpore tollit,
De collo scrophas unguentis mixta fugabit.

X. SAMBUCUS.

Sunt gradibus primis sicci calidique secundis
Sambuci, possunt contractos solvere nervos

VIII. Rantzovius pag. 76. — IX. Apul. Cap. XXXI.

Et mollem stomachum reddunt vomitumque vocantes.
Hinc cataplasma facis mammis et apostuma curat.
Sambuci scabiem curant capitisque dolorem
Aperit et vulvam Sambux pridem male clausam.
Auribus infusus removet procul inde dolores,
Si bibitur, necat ascarides, lumbricum necat idem,
Saepe melancholicis et flegmatis humida purgat.

CORRIGENDA.

Pag. 1. notar. lin. 5 corrige et.
,, 3. not. lin. 3. corr. dicere.
,, 4. not. lin. 2. leg. Bruschius.
,, 17. v. 105. pone comma post rugas.
,, ,, not lin. 2. corr. tabulate.
,, 18. v. 130. lege demissa.
,, 27. v. 342. leg. superaddare.
,, 28. not. lin. 2. leg. quae.
,, 30. v. 419. pone comma post Mater in fine vers.
,, — not. lin. 5. leg. Plin.
,, 70. not. lin. 5. leg. Dracunculus.

TYPIS FR. E. THEIN.

